



17

M 27

Pool

4

MS XVIII 302695



5.e.31

LM27-I-Pol-4

M

Político

30.5.50

B
58



Colly. Pam. dec. 70.
cauf. inuoi:

METHODVS

P.P. 7er

AD EOS

ADIVVANDOS,

QVI MORIVNTVR:

EX COMPLVRIVM

Doctorem, ac piorum scriptis, diu-
turnoq; vsu, & observa-
tione collecta.

Auctore R. P. Ioanne Polanco,
Theologo, Societatis
IESV.



M A C E R A T A E,
Apud Sebastianum Martellinum.
M. D. LXXV. +

14 FEB. 1949

PIO LECTORI
SALVTEM.

VM INTER
omnia, quæ no
stra Societas se
cundum insti
tuti sui ratio
nem, ad Dei
gloriam & Ec
clesiæ ædificationem præstare solet,
ea opera maximi momenti censea
tur, quæ hominibus ab hac vita mi
grantibus, impenditur, optandum est
profectò magnopere, ut in hoc mune
re præ cæteris rectè obsecundo, nos stro
rum Sacerdotum diligentia, et chari
tas elucescat: et ut serpens ille, ac an
tiquus nature humanæ hostis, huic
extremæ vitæ parti, quasi calcaneo
insidiari, et ut leo rugiens circuire, et
in ultimo eo tempore, quod ei ad ten
tandos fideles permittitur, quem de
uoret, summo studio quærere & op
pugnare creditur, ita qui propter
Dei dilectionem, homines, ut eius i-

Ratio
iuuan
dimo
rietes
diligē
ter e
xercē
da.

maginem, & CHRISTI mem-
 bra diligunt, in eo tempore potissi-
 mum, quod ad eternam salutem
 suam operandam, vltimum ipsis re-
 linquitur, studiosissime cum Dei
 auxilio elaborare debent, vt ad fi-
 nem ad quem creati & redempti
 sunt, illi perueniant. Quauis au-
 tem gratia Dei, & spiritus eius,
 magis quàm villa ab hominibus tra-
 dita documenta, fidelem, & pru-
 dentem CHRISTI operarium,
 ad sanctum hoc officium rectè o-
 beundum, instruant, quia tamen
 vt in alijs, quæ ad animas iuuan-
 das comparantur, functionibus, ita
 & in hac placet omnipotenti Deo,
 vt humana industria, diuinæ ip-
 sius prouidentie cooperetur, multa
 vtiliter ijs suggeri posse videntur,
 qui ad morituros iuandos accedunt.
 Et vt distinctè, ac dilucidè digesta, fa-
 cilius retineri, & in opus deduci pos-
 sint ea, quæ nobis in hoc argumento
 occurrerunt, in viginti capita, quæ in
 ferius annotantur distinximus, consi-

deratis

deratis totius negotij circumstantiis,
 ac partibus. quia enim ex ijs aliqua
 ad ipsummet, qui iuuat, aliqua ad mo-
 rientem, aliqua ad eos, qui moriuntur
 assistunt, referuntur: prima in cap. 1.
 sequentis instructionis vel directorij,
 tertia in vltimo, secunda intermedijs
 attinguntur. Et inter hæc, quia quæ-
 dam cum ipsomet moriente sunt tra-
 ctanda, quædam sine illo peragi pos-
 sunt, posteriora, capite penultimo,
 priora reliquis continentur. Cum e-
 tiam inter illa quædam omnibus vel
 necessaria sunt, vel ad cõsolationem
 & meritum vtilia, quædam etiam
 quibusdam morientium dispositioni-
 bus magis seruiant, neq; omnia no-
 bis conueniunt: de prioribus agitur
 à 2. cap. vsq; ad octauum, de poste-
 rioribus in reliquis. Et quoniam omnia
 perspecta esse expediret ei, qui iuuat
 moriuntur, vt officio suo plenius funge-
 retur, prima in octo capita, et penul-
 timum, quod est 19. vt quæ ferè in quo-
 tidiano vsu versentur, memoria recè-
 tiori expedit retineri. in reliquis cum

Diui
 siohu
 ius
 tra-
 ctat-
 us.

A iij dispo-

dispositio patientis id exiget, capita
eis accomodata relegendo, memo-
riam renouare satis erit. Intellige
interim pie lector, ex præscripto con-
gregationis nostræ generalis, et ex o-
bedientia R. P. nostræ Societatis Ie-
s v, Magistri Euerardi Mercuria-
ni, & hunc librum esse conscriptum,
in quem & illa, quæ complures pa-
tres nostræ longa experientia docti
obseruarunt, & quæ alij etiam autho-
res scriptis suis tradiderunt, quàm fie-
ri potuit, breuissimè congeessimus.
Etenim id nobis curæ fuit, ne præter
quàm opus erat, longi essemus, ob
quam etiam causam nonnulla inter-
dum in posterioribus partibus libri
breuiter replicauimus, quæ superio-
ribus capitibus copiosè dicta erant,
ne scilicet Lector ad illa prolixiora,
cum hæc satis pro tempore & loco
esse possent, se referre cogere-
tur.

Vale & boni consulens quæ ad
tuum laborem subleuandum sunt
conscripta, Dominum I E S V M pro
nobis ora.

BREVIS
METHODVS AD
EOS ADIUVANDOS,
QVI MORI VNTVR.

DE IIS, QVÆ
pertinent ad eum, qui
adiuuat morientem.
Caput Primum.



NTELLI-
gat in pri-
mis, qui
dat operâ
eis iuuan-
dis, qui ex
hac vita de-
cedût, quâ
ti sit mo-

menti, & quàm veræ charitatis o-
pus, proximis in tali statu constitu-
tis, vbi de summa rerum agitur, sub
uenire. Nullibi enim grauius erra-
tur, & cum mors semel tantum acci-
dat, si quis error hic admittitur,
nullo ingenio corrigi potest. adde
quòd sepe accidit, vt huiusmodi mi-
sterio diuina prouidentia ad por-
tum æternæ salutis eos adducat, qui



Methodus adiuuandi

fine ipso in eternū erāt perituri, vel certe in purgatorio grauiores ac diuturniores pœnas passuri, aut si neutrum horū euenit, illud quidem certè hæc functio, quòd ad alia spectat, boni adfert, vt moriētes in maiore decidāt charitate, & contra; ac proinde etiā maiore post hæc vitam beatitudine apud Deū, et gloria perfruantur. Quòd si eos, qui sani sunt magnū est opus pietatis, ad hæc ipsa, per prædicationē & sacramentorum ministeriū, vel quauis ratione adiuuare, cum & alio tēpore & aliis medijs, id fieri, & postquā adiuti erūt, ab accepta gratia excidere possint, quanto maius est iam iā ex hac vita in aliam migraturis succurrere, cum illud sit certissimum, quòd ubi ceciderit lignum ad Austrum, aut ad Aquilonem, in quocunque loco ceciderit, ibi erit: si benè vitam finierit, in Austro erit æternæ salutis: si malè, in Aquilone eternæ miserię.

DEINDE aduertat, quòd ipse im pares admodū vires ex se habeat, ad tantū opus, scilicet cooperadi Deo ad salutem animarū, morte præsertim imminente, cum propter vim morbi, ratio à consideratione rerū salubriū distrahī solet, & propter timoris aliorūq; affectuum vehemen-

tiam,

Eccl. II.

Sibi diffidens in deo collocet spem benè se gerendi.

eos, qui moriuntur. 5

tiam, minus apti ferè sunt homines, vt negotiū suæ salutis, prout oportet, transigant: cum tamen Dæmon sciens, quòd modicū tempus habet, omnes vires suas exeret, vt moriētē, si qua ratione possit, perdat, & vt malignus est & sagax, id multis modis (quantū à Deo permittitur) curet. Vnde qui hoc officio fungitur, humiliter corā deo suā imbecillitatē agnoscat, & sibi diffidēs, totā spem benè gerēdi, & quod intendit cōsequēdi, in diuino auxilio constituat.

Purissimam habeat intentionem iuuandi morientes in tanta necessitate ad vltimū finem suū assequendū, considerando, quòd imago Dei quòd Christi membra, quòd ipsius sanguine & vita redempti sunt. & quasi substituatur à Christo, ad illos adiuuādos, quos ipse tantopere diligit, & quorū salus, in ipsius magnū honorem & gloriā cedit, excitet in se vehemens salutis eorū desideriū, & omni studio cooperari Dei prouidētiæ conetur, ne fructus mortis D.N. Iesu Christi in eis pereat.

Qui ergo hoc officium, ex obedientia, vel charitate exercet, pro gratia adiuuādi morientes quotidie in vniuersum oret, & peculiari affectū, cum pro singulis eorū, ad quos

Intentio pura ac desideriū iuuandi sit vehemēs.

orādū pro moriētib. in vniuersum, & in particulari.

A v iuuan.



Methodus adiuuandi

iuuandos vocatur, tam dum ad eorum domos se confert, quam dum in eisdem manet, ac per breues eleuationes cordis, desiderium salutis morientiu in se renouet, & ad eos applicet: sacrificiis etiam Missarum hoc ipsum in genere, & in particulari faciat.

RES ipsas, quæ dicendæ sunt, vel agendæ, ac modum & ordinem earum, benè intelligat, & in memoria habeat, nè accidat, vt cū exigua morientis vtilitate, et astantiu minore ædificatione suū faciat officium: et si ad vnam concionem habendā, studium, ad res opportunas, & ordine congruo dicendas adhibetur, quanto magis ad negocium hoc tã arduum, præmeditatio, & rerum, & ordinis erit necessaria? est tamen ad uertendū, quòd nec res eadem semper, nec eodem modo erunt dicendæ, sed pro dispositione varia morientium, & loci ac temporis maioris, vel minori commoditate (de quibus infra) variari oportebit. aliter enim cum magnis, quam cum plebeiis hominibus; aliter cū doctis & ingeniosis, quam cum indoctis ac rudibus, aliter cū exercitatis in rebus spiritualibus, quam in exercitatis; aliter cū cholericis & impati-

bus,

eos, qui moriuntur. 6

bis, aliter cum iis, qui sedato & patienti animo sunt, agendū est. prioribus enim pauca, selecta, erudita, et opportunè dicta; posterioribus, plura magis explicata, & ipsorum captui accōmodata quadrare solent: cum eiusdem etiam naturæ & qualitatis hominibus, aliter si sensibus valent, aliter si iam sunt hebetiores, aliter si morbus nō affligit doloribus, aliter si affligat, aliter si tēpus suppetit, aliter si breue est, procedendū erit. Vnde præter illa documenta, quæ in genere præscribi possunt, discretionem semper opus habebit, qui iuuat morientē, vt scilicet vtatur iis omnibus, quæ præmeditatus est, vel tantū quibusdam eorum, pro re nata, & prout expedire ad præsens iudicauerit: non vno contextu omnia dicendo, nec propteranter, nec vno tono, sed paulatim dicet quæ opportunè dici, & audiri ab egroto poterunt; interrumpendo silum dicēdorum partim silentio, vt melius ille digerat quæ audiuit, vel sponte sua vtiliter cogitet, vel vt quiescat, partim interrogando de aliis rebus cōmunibus, & partim orando pro eo, & alios ad hoc ipsum hortādo, & postea prosequatur quæ cœpit. Clausulæ loquentis sint breues, &

A vj sermo



Methodus adiuuandi

sermo simplex, & pium affectum ostendens, & cum prudentibus & grauibus, non tam iustruentis phrasi, quàm in memoriam redigentis, vel quod ab eis fieri creditur referentis, vbi expediet.

SI non est perspecta ægrotantis, ad quem accedit, persona, & habitudo, & occasio detur, in ipso itinere curet, qualis ille sit, & quomodo se habeat, cognoscere, id est an sit vir eruditus, an prudens, an patiens, an vtatur integris sensibus & iudicio, an credatur vicinus mortis; an testamentum fecerit, an confessus fuerit, an communicauerit, & extremam vnctionem sumpserit, quod vitæ genus tenuerit, an aliquid in eo sit magni momenti, de quo admoneri debeat, an se afflictum in spiritu ostendat, an integro sit auditu, vt bene audiat, si quid loquatur submissè &c. ipse etiam obseruet mores hominis, & non ex abrupto incipiat, sed etiam ingressus ad infirmum, ipsum & assistentes salutat, prout decet, & quomodo se habeat interroget, & compassionè habeat, & præferat, et si ægrotus ipse quid dicere velit, audiat eum, & valde caueat, ne tedio ipsum afficiat, vel rebus ipsis, vel tono altiori,

Quomodo in ingressu se habeat cum ægrotante.

quam

eos, qui moriuntur. 7

quàm sit opus, vel repetitionibus rerum earundem, quin potius animaduertens paulatim hominis ingenium, consolari eum studeat, & amanter & prudenter cum eo agendo, eius beneuolentiã sibi conciliet, vt quæ ad suam salutem pertinent, audiat libentius, admittat facilius, & ita magis proficiat, & cum ipso reuertente, si redire oporteat, potius recreetur in Domino, quàm molestia afficiatur.

DE MVVM postquam explorata fuerint ei, quæ oportet intelligi, vtatur religiosa, & modesta libertate, in omnibus, quæ ad officij sui functionem pertinent, tam erga ægrotum, quàm circumstantes.

Libertate modesta vtatur.

De his, quæ cum moriente, ad animam ipsius iuuandam, tractantur. Cap. II.

QUAS in auxilium morientis fieri vtiliter possunt, & cum ipso, aut per ipsum trãsuntur, in duplici genere sunt. aliqua enim vt necessaria cõsentur, quæ ad faciendũ quod debet, hominem disponunt; aliqua vt conuenientia & vtilia, quæ ad consolationè, s. & ma-

Diuisio eorum, quæ dicenda sunt.

ius

Methodus adiuuandi

ius meritum morientis pertinent, & quidem necessaria, vel adiuuant morientem in iis, quæ ad animæ statum, vel in iis, quæ ad providentiã erga sibi coniunctos, & corporis, ac rerum externarum dispositione faciunt, & quamuis hæc aliter curari debent, cum & ipsius intellectus, & voluntas, & temporis comoditas, omnia exactè fieri permittit, aliter cum aliquid horum deest, prius omnia tractabimus, perinde ac si ægro- tantis ac temporis dispositio integrum ipsi auxilium exhiberi permitteret, deinde de iis casibus seorsum agetur, in quibus, quòd desit aliquid, horum personæ, habitudini, ac tempori se accommodare oportebit.

Quæ cura sit, vt moriēs in gratia Dei & charitate decedat.

PRIMA ergo, & præcipua cura iuuatis eos fideles, quibus mors, iuxta peritorum sententiam, creditur imminere, sit circa animæ statum, vt scilicet in gratia Dei, & charitate ex hac vita decedant. Et quia per sacramenta, ea in cordibus nostris per Spiritum Sanctum diffunditur, vt eis muniatur infirmus, primo quoq; tempore curandum est. Postquam ergo saluauerit ægro- tantem, & (si expedire iudicabit) Euangelium, vel Orationem super

ægro-

eos, qui moriuntur. 8

ægrotos dici solitam, vel vtrūque recitauerit, vel aliquid mente in Deum eleuata, & super eum manibus impositis orauerit, sedens; aliqua vel auduerit, vel interrogauerit, sumpta occasione ex his, quæ ægrotans responderit, vel aliunde, significet blandè & amanter (nisi in aliquo casu videretur ad sacramenta prius adducendus, vel huiusmodi nuncium differendum esse, cum periculum non esset in mora) quòd medici secundum artis suæ experientiam, de ipsius vita dubitant; adiungens nunc tempus esse, cum humana auxilia parentū, & amicorum, & medicorum parum ipsum subleuare possint, vt toto se corde ad Patrem cœlestē conuertat, qui vt amantissimus vult, & vt omnipotēs potest ipsum iuuare, vel sanitatem (si expedit) restituendo, vel in omnem euentum sanitatem & vitam perpetuam ei tribuendo: conuertat etiam se, & spem suã erigat in verum amicum IESVM CHRISTVM, qui tantopere ipsum dilexit, & pro eo sanguinem suum totum effuderit; quæ probatio amicitie perfecta fuit, nã (vt ipse testatur) maiorem dilectionē nemo habet, quàm vt animam suam ponat

quis



Methodus adiuuandi

quis pro amicis suis. **CHRISTVS** est amicus verè fidelis, qui cum alij deserunt, scilicet in morte, quod nolint vel non possint prodesse, tunc ipse maximè & vult, & potest amicos iuuare. idem etiam est sapientissimus medicus, qui non solum corpus (cum id conuenit) ad breuem huius vitæ periodum, sed animam etiam, per gratiam suam sanat, & post resurrectionem, perfecta, & perpetua sanitate corpora sanabit. Vt autem gratia ipsius sanet animæ vulnera, & morbos, medicina sacramentalis est necessaria, ideo confessionem debet integram facere, & per ipsam æterno Patri reconciliari. si differret ad aliquam horam, vt sibi commodiorem, vel vt peccata melius posset recordari, & temporis angustia non virgerent, admittendum id esse, & suo tempore redeundum ad confessionem audiendam, nisi ægrotus alij confiteri deberet, imò si morbi ratio id ferret, & generali confessione opus habere infirmus videretur, ei suggeri posset, vt non solum ab vltima confessione cogitet, quæ conscientiam præmunt, sed & alia antea actæ vitæ peccata, præcipuè si circa ea pacatam

con.

Quomodo ad confessionem adducendus etiam qui differre vellet.

eos, qui moriuntur. 9

conscientiam non habet, recogitet, iuxta illud Ezechia: Recogitabo tibi omnes annos meos, in amaritudine animæ meæ. si dilatio non petitur ad hos fines, sed quia detrectat laborem ingrediendi ad seipsum firmus, vel obtentationem aliqua, & non videtur probabile, quod postea magis paratus erit, dicat illi, quod vt Pater æternus & Dominus noster **IHSVS CHRISTVS** in suam gratiam & amicitiam ipsum admittat, oportet vt peccata, quæ diuidunt inter Deum & ipsum, tollantur, & hoc fiet per sacramentum pœnitentiæ, proinde ne differat hoc impedimentum remouere, etiam contra sapientis in Ecclesia consilium, qui dicit: Ne tardes conuerti ad Dominum, & ne differas de die in diem. non possumus nobis vnam horam vitæ polliceri, & tamen pœnitentiæ in illa hora acta, vel non acta, potest vel ad Regnum Dei aliquem perducere; vel ab ipso exclusum, & damnationis æternæ reum relinquere; ideo idem Sapiens ait: Repromissio nequissima multos perdidit. quia si peccatis obnoxij promittentes sibi vitæ longiorem, & retardat conuersionem,

& mors

Esa. 38.

Eccl. 5.

Eccl. 29.

Methodus adiuuandi

& mors, vel delirium eis superuenit, cum non amplius poenitendi tempus habeant, actum est de ipsorum salute, & in æternum peribunt. Adde quod, vt autor quidam bene ait, Qui non est hodie, cras minus aptus erit, demum cum primum fieri poterit, ad confessionem adducat, & suam operam in redigendis ad memoriam peccatis promittendo, eam faciliorem ægrotanti reddere conetur. & cum assensum eius habuerit, semotis arbitris, audiat quæ ipse sciet & volet dicere, dein de ipse iuuet de iis, quæ sunt probabiliter omissa, percussando, & numerum & circumstantias necessarias, quæ postquam habuerit quantum satis est, tunc ad contritionem (si eam imperfectam animaduertit) hominem iuuet; id tamen cum ea moderatione faciat, ne indiffidentiam ægrotus, & nimiam animi deiectionem incidat. moneat ergo, vt consideret magnitudinem Dei, cuius præcepta transgressus est, sub quo, præ humilitate profunda, incuruantur, qui portant orbem, Angeli, præ reuerentia, contremiscunt; & vt nihilum est omnis magnitudo creata. Consideret etiam in Deo iustitiæ zelum, quo Angelos & ho-

mines

eos, qui moriuntur. 10

mines peccantes tam acerbè puniuit, & sanctitatem, qua sic odit peccatum, vt si quis in illo moriatur sine poenitentia, licet sit aliqui filius dilectissimus, in æternum eum priuet hæreditate cœlesti, & ad inferni tormenta nunquam finienda religet. Aduertat autem Sacerdos, vt diximus, ne nimis terreat ægrotantes, præsertim si subtimidi viderentur, & magis contritionem excitet, (quocumque illi sint ingenio) in memoriam redigendo, quàm multis beneficiis naturæ & gratiæ, ipsū Deus sit prosequutus, quanta ipsum præuenerit dilectione, qui proprio Filio nõ pepercit, sed pro nobis omnibus tradidit illum, & utiq; pro singulis, quanta nobis bona in regno cœlesti post hanc vitam præparauerit, quàm sit in se bonus & in iustitiam amabilis, & dignus omni honore, obedientia, & obsequio. & tunc dicet, huc ergo Deum, tantæ Maiestatis, tantæ sanctitatis, tantæ bonitatis, qui te de nihilo creauit & in filium adoptauit, & tanta dilectione & beneficiis te prosequutus est, contempsisti, & iniuria affecisti, & quod in te fuit Sanguinem IESV CHRISTI filij eius pro te effusum, conculcasti, &

in

Rom. 8.



Matthias.

Ad contritionem quomodo iuuandus, qui confitetur.

Iob. 9.



Methodus adiuuandi

in his & illis peccatis (quædam grauiora repetendo breuiter) animam tuam immaculasti. quantum ergo dolere debes, quòd tam ingrâtè te gesseris erga talem, & tantum Patrem, & benefactorem? deinde animet eum, & erigat, dicendo, perpende, quòd sic offensus Pater cœlestis, pro sua tamen misericordia infinita, ad pœnitentiam te expectauit, quòdque per Prophetam promisit, in quacûque hora ingemuerit peccator, omnium iniquitatum eius non recordabor, quòd **I E S V S C H R I S T V S**, qui pro peccatis tuis mortuus est, apertis bracchiis in Cruce (vt vides) te inuitat, vt ad ipsum cû dolore vitæ præteritæ refugias, vt ample ctatur te, & sanet animam tuam, & si conueniet tibi, etiam corpus tuum, & ad tibi comparatam suis doloribus beatitudinè adducat. dic ergo corde & voce, si potes, cû publica no: **Deus propitiu** esto mihi peccatori. dic cum Dauide, Domine propitiare peccato meo, multum est enim. dic cum eodem pœnitente: Misere mei Deus meus, ò, qui te nunquam offendisset, ò Pater amantissime, displicet mihi valde, quòd tam ingrâtè, tuam bo-

nita-

eos, qui moriuntur. 11

nitatem offenderim. ò, Domine **I E S V C H R I S T E**, qui me tanta charitate, peccatorem vilissimum redemisti, sanguinem & vitâ tuam mihi impendendo, pœnitet me plurimum, quòd tam sæpe, & tam grauius tua mandata præuaticatus sum, quis mihi det fontem lachrymarum, vt desiccam ingratitude & malitiam meam, qua te, qui tantopere me amasti, & honorasti, contempsisti, & creaturas vilissimas, tibi in affectu amoris mei præposui? firmiter propono, cum tua gratia velle me potius in posterum millies mori, quàm te offendere, etiam si diu mihi viuendum esset in terra. hæc ergo & similia, vel partem eorum, vel si quæ magis accommodata personæ pœnitentis occurrerent, dicat, vt ad contritionem de peccatis præteritis, etiâ oblitis, & affectum eorû relinquendû, & emendationem, si viueret, firmiter proponendâ, adiuuet. & quoad eius fieri possit, curet, vt contritio sit charitate informata, & non ex timore tantum, & vt firmum vitæ seriò emendandæ propositum, si superuixerit, in eo sit. & tunc consolando eû spe veniæ, & reconciliationis cû Deo, absolutionis beneficiû impen-

dat.



Methodus adiuuandi

dat. et si aliquas indulgentias ei poterit impertiri, quàm largè licebit, impertiatur. & vt patienter morbum, & eius molestias, & mortem ipsam, si Deo placuerit, de manu eius suscipiat, pro satisfactione suorum peccatorum, & ob Dei amorem, admo neat, & pœnitentia alia vel non iniungatur (nisi breuissima, & quam possit facîle peragere) vel si iniungitur alia maior, non nisi recuperata valetudine ad eam se teneri ægrotans intelligat.

De iis, qui ad aliquam restitutionem tenentur.

Si tamen habet aliquid alieni, quod restituere debeat, & statim possit, videat Sacerdos, an expediat differre absolutionem, donec id opere compleat. Vel si non differt, quia promittenti se statim id facturum, credit, vrgeat, vt viuens id fieri curet, nec hæredum arbitrio id relinquat, quod tantopere ad suæ salutè animæ pertinet. hoc de rebus clarè debitum intellige: si res esset dubia, & ipso viuente declarari posset, an ad restitutionem teneatur, (vt in habentibus negocia, vel administrationem bonorum alienorù accidere facîle possit) primo quoque tempore id fiat. si non eiusmodi res est, vt statim possit veritas elucescere, in testamêto, vel codicillo decer-

nat,

eos, qui moriuntur. 12

nat, vt re declarata, cuique quod sùs est reddatur, & tantundem fiat, si clarum quidem est debitum, & tamen non potest statim restitui. & solet bonum esse consilium, vt hæredes aliqua pœna, ad restitutionem tempestiuè faciendâ, si statim non potest fieri, obligentur, sed valde optandum, & curandum est, vt statim fieri possit.

Si cum aliquo intercedit inimicitia publica, non solum vt ignoscatur, sed si fieri poterit, vt coram notario, & testibus id constet, curandum est. & si ipse alium offendit, mittat ad veniam petendam, & satisfaciatur offenso, vt oportet, & pax (si res id feret) dùm ægrotus viuere, cõficiatur. secreta autè secretè, si quæ fuerint huiusmodi, transigantur.

Si ad famæ restitutionem fuerit obligatus, eo modo, quo poterit, per se, vel per alium eam restituere curet, verbo, vel scripto. si ex cõmunicatus esset aliquis ex iis, quibus mors imminet, curetur, vt se submittat totis viribus Ecclesiæ ordinationi, vt beneficium absolutionis consequatur.

His, quæ ad confessionem pertinent transactis, viaticum Sanctissimæ Eucharistiæ, dùm sensus videntur,

Pax cum
offensis,
vel offen
soribus,
curanda.

Famæ re
stitutio cu
randa.

à Parocho,



Methodus adiuan di

De Sa-
cramen-
to Eu-
chari-
stie su-
mendo.

De sa-
cramen-
to extre-
mæ vn-
ctionis.

Iac. 5.

à Parocho, vel de eius, aut superioris facultate, ab ipso, qui iuuat morientem, vel alio, sumat ægrotus, ac prius instruat, vt se præparet ad illud di- gnè sumendū, præcedente reconcilia- tione, si ea opus erit, & cū quanta hu militate, fidē, spe, & dilectione fieri poterit, communicet. Admonetur etiam, vt sacramentum extremæ vn- ctionis sumat, vel saltem petat, vt suo tempore adferatur, & eius vis ægro- tanti declaretur, quæ duplex est (præ- ter effectum communem cōferendi gratiam, quā habent omnia sacramen- ta) altera scilicet vt præparetur ad pro- fectionem in cœleste regnū à pecca- tis, & eorum reliquiis, per eam, expe- ditus; altera, vt si sanitas corporis ei utilis est futura, etiam illam promoue- at, iuxta illud Iacobi, infirmatur quis, & c. & oratio fidei saluabit infirmum; ideo non est expectandum, vt iam na- turæ vires penitus sint prostratæ, & sit sensum expers ægrotus: sed cum medicus dixerit, secundū artem me- dicinæ, ipsum ad finem iam accede- re, vel in periculo magno mortis ver- sari, dari debet hoc sacramentum, vt intelligat infirmus quæ dicuntur, & quā deuotè poterit, Parocho vngē- ti ipse respondeat. Quòd si in deli- rium, vel sensum hebetudinem inci-

deret,

eos, qui moriuntur. 17

deret, hoc deuotionis fructu priua- retur, quamuis non præcipuo hu- ius sacramenti sine, & ideo etiam in tali statu dāda est vnctio, si prius data non fuisset.

De iis, quæ sunt tractanda cum moriente, quod at- tinet ad coniunctos, cor- pus, & bona externa.
Cap. III.

PO'ST QVAM circa ea, quæ ad animæ dispositionem per- tinēt, officio suo functus erit, qui iuuat morientem, eodem fun- gatur circa ea, quæ ad prouidentia eius erga sibi coniunctos, & ad cor- poris, & bonorum dispositionem pertinent, quāuis aliquando expe- diet, vt post confessionē statim ista curentur. Redigat ergo ipsi in me- moriam, si vxorem habet, vt eidem prospiciat: si filios minores, vt eo- rum tutelam, & institutionis cu- ram, alicui relinquat, de quo spe- ret, quòd ipsorum commodis seriò consulat: si filias domi habeat, nondum statum vitæ certum ha- bentes, prouideat, quòd ad eius

B fieri

De prouid-
entia cir-
ca coniun-
ctos.



Methodus adiuuandi

feri possit, vt iuxta vocationem Dei, vel in matrimonio, vel in monasterio collocentur.

Si nepotes, vel alios consanguineos habet domi, quorum susceperit curam, si seruos, vel familiam, cui debeatur stipendium, vel amplius quam stipendium, memor sit eorū, vt officio æquitatis, & etiam charitatis erga eos satisfiat.

Si forte vel tutelam aliorum, vel bonorum principis, communitatis, vel priuatorum administratiōnem suscepisset, vel officium publicum gerit, de quibus vel reddere rationem, vel aliquid facere, aut dicere teneatur, vt suæ conscientiæ, & aliorum communi, aut priuato bono consulatur, admoneat, vt dum habet rationis vsum, & tempus quā expedite poterit id faciat, vel alius faciendum committat.

De corpore etiam suo, vt constituat vbi sepeliri debeat (nisi constaret id iam constitutum esse) & quomodo suggerat, horteturq; eū, vt ita protestationis fidei suæ, & auxilij spiritualis, ac decentiæ status, rationem habeat, in apparatu exequiarum, vt pompæ superflue, & ad solatium viuentium, non ad animæ propriæ vtilitatem facientes,

ad

eos, qui moriuntur. 14

ad decentem moderationem reuocentur.

DEMVM ipsum adhortetur, vt disponat de bonis suis per testamentum iustum & pium, memor quōd non habemus hic ciuitatem permanentem, sed futuram inquirimus, & si prius testamentum fecisset, suadeat, vt consideret, an ei aliquid addere, vel detrahere, vel immutare, putet necessarium, quod per codicillum fieri potest; & in eo (sicut etiā in testamento) primo loco satisfieri iubeat eis, quibus aliquid debet, siue de familia ipsius sint, siue non; quāuis si viuens potest his debitis satisfacere (vt dictum est) potius id curare deberet. Vxori si eam habeat dos salte assignetur, liberis, quæ illis iure naturæ, & ciuili, & etiā ex charitate debentur, relinquat.

Si præter ea bona, quæ creditoribus & heredibus, vt dictum est, debentur, suppetat facultas, ad pia legata facienda (quandoquidē de quinta parte bonorum liberè potest disponere, vel de alia, iuxta leges patriæ) siue ipsemet petat consiliū, siue non petat, quando ipsi vtile, & Deo gratum fore videbitur admoneat, vt elemosinas in testamento vel codicillo, ad pauperum, & pio-

B ij rum

De obligationibus aliis.

De corporis sepultura.

De dispositione bonorum per testamentum, vel codicillū.

De legatis piis.



Methodus adiuuandi

rum locorum sustentationem relinquat. si tamen rerum, & personarum dispositio id ferret; suadendum eis esset, vt etiam hæc potius viuentes faciant, quam testamentum legent: multo enim magis eum iuarent, sicut magis vna, quæ præfertur fax, quam quatuor, quæ sequuntur, confert ei, qui per obsecrum locum ingreditur, ne labor; nec tantum huiusmodi elemosynæ, & pia opera in vita facta ad satisfactionem maiorem pro peccatis, sed ad meritum etiam maius beatitudinis conferunt. vnde qui viuens dispensat, quæ potest, pauperibus, & piis locis, dicere poterit cum Laurentio, Facultates meas in cœli manus pauperum deportauerunt. si forte testamentum alias fecisset, in statu animæ minus bono, suadendum est egrotato, vt renouet intentionem piorum legatorum, imò et omnium bonorum, quæ vnquam egit, & ratum habeat quod ibi, & quandoquæq; fecit, vt si tunc in statu gratiæ non fuit, saltem modo legata, & opera pia rata habendo, & ad Dei gloriam referendo, meritoria vitæ æternæ faciat. & si in factis hoc expedit, multo magis in faciendis exhortari oportebit vt omnia, quæ in testamen-

eos, qui moriuntur. 15

to legat, vel aliter facit, ad bonum aliquem finem referat. etsi quod opus perpetuum est, vt hospitale, vel monasterium, vel quid simile, caueat ne vanitas, memoriæ sui relinquenda potius, quam Dei & proximorum amor ipsum moueat, significando, quòd qui non imminente necessitate subueniendi pauperibus præsentibus, quæ preferenda esset) fundaciones perpetuas relinquit, cum præcipua intentione vultus Dei, & salutis proximorum, maius præmium essentiale promeretur, quam qui eiusdem valoris elemosynas in satisfactionem suorum peccatorum, intra tempus aliquod breue expendendas, relinqueret.

QUANVIS autem dirigere testatorem, vt dictum est, opus sit magnæ pietatis, nostri tamen propter constitutionem, quæ id prohibet, & propter rationem, quæ ipsius constitutionis causa fuit, testamentis condendis interesse nõ debent, & minus vtiq; ad elemosynas, vel legata nobis relinquenda, aut iis, qui ad nos pertinet, morituros exhortari, nostris licebit, sed opera pietatis in genere commendent, etsi videbitur

Nostri condendis testamentis ne intersint.



Methodus adiuuandi

expedire, vt quis ad aliqua particularia descendat (præsertim consilium petente testatore ante tempus condendi testamenti) ea in primis proponat, quæ maioris charitatis, & ad proximos magis iuuandos opportuna videbuntur, vt quæ ad animarum, quæ in purgatorio sunt, subuentionem: quæ ad religionum vtriusq; sexus (paupertatem patientiam) subsidium: quæ ad pauperum, qui cum mendicare honeste non possint, inopia tamen magna præmuntur, auxilium: quæ ad captiuorum redemptionem, quæ ad pauperum puellarum dotationem, quæ ad orphanorum vtriusq; sexus sustentationem, quid ad pauperum propter debita in carcere detentorum liberationem, & domum: quæ ad hospitalium, & aliarum pauperum personarum, ac piorum operum subleuationem spectant: quamuis circumstantiæ locorum, personarum, & rerum facere possent, vt præferri deberent quædam alioqui posthabenda; si vir ecclesiasticus esset, & præcipue si curam animarum haberet testator, vt Episcopus vel parochus vt iliter in memoriam ei reduci posset pauperes, & opera pia suæ diocæsis vel parocæcia, quia

cæteris

eos, qui moriuntur. 16

cæteris paribus, eorum esset habenda ratio.

REFERT etiam plurimum, vt morientem ad vtendum in condendo testamento opera virorum bonorum prudentium, & peritorum hortetur; & vt tales executores testamenti relinquat, quorum rectitudini, & si fieri potest beneuolentiæ erga se & suos, possit confidere, & ultra duos vel tres, testamentarios huiusmodi relinqui, ferè non expedit.

Quid agendum cum de necessarii aliquid deest morienti, licet aliqua iam facta inueniat, qui aduocatur. Cap. IIII.

SI QUANDO aliquis accersitur ad eum, qui moritur iuuandum, at iam ille confessus est, sed non communicauit, hortetur eum (si opus est exhortatione) ad viaticum Sanctæ Eucharistiæ primo quoq; tempore accipiendum, vt ab illo bonorum om-

B iij nium

De executorum qualitate & numero.

Quomodo ad viaticum sumendum adducendus sit moriens.



Methodus adiuuandi

nium fonte, vires hauriat ad labores suæ ægritudinis tolerandos, & ad securius (si oportuerit) iter hoc laboriosum & periculosum, quo à præsentè vita in futuram transitur, peragendum. & poterit exemplum Helix adducere in figura huius Sacramenti, cum fugiens Iezabelem, & ex tædio laborum & afflictionis, mortem desiderans, & petens, pane ab Angelo allato cum vase aquæ refectus, ambulauit in fortitudine cibi illius vsq; ad montè Dei Oreb. & alia huiusmodi. Addi etiam posset maturandum esse, ne si vomitus vel aliud deglutiendi impedimentû superueniret, priuetur huius Sacramenti singulari auxilio. Poterit etiam hortari, sicut 2. cap. dictum est, vt se præparet ad dignè sumendum hunc verum panem, qui de cælo descendit, per reconciliationem, & alia media, de quibus etiã instruere ægrotum debet. Et si volet ipsi confiteri, in reconciliatione poterit dextro modo petere, vt in cap. 8. dicitur, an aliquid sit, quod grauet ipsius conscientiam, quod omiserit in confessione, vel non quantum pat erat, explicauerit, vel quod ad restitutionem rerum, vel famæ, aut ad pacificationem cum a-

liquo

3. Reg. 16

Io. 6.

De reconciliacione eius, cuius confessio non est audita.

eos, qui moriuntur. 17

liquo pertineat, & tunc faciat, vt in 2. cap. dictum est. Petat etiã, an doleat de peccatis, etsi conuicit, quòd eget maiori contritione, iuuet eû, adhibendo ea media, de quibus præ dicto 2. cap. est actû, vel partè eorû.

S I testamentum non fecit, horretur ad illud faciendum, iuxta ea, quæ 3. cap. præcedente dicuntur. nec differat tempus difficilius, quod initio ægritudinis, imò in sanitate factum oportuit. Et si factum quidem est testamentum, sed aliquid videtur immutandum, addendum vel minuendum (quod vel ex verbis infirmi, vel ex aliorum relatu, aut alio pacto sacerdos poterit cognoscere, per codicillum id fieri posse admoneat, & ad ea, quæ videt eius animæ maximè conuenire, facienda, quæ dum viuut fieri possunt, disponere infirmum conetur, vt 3. cap. dictum est.

S I solum deest extrema vntio, ad illam petendam hortetur, siue statim, siue postea, si differenda videbitur, vt supra etiam 2. cap. diximus. bono tamen modo, ne terrore infirmus deiciatur, suadere oportet huius sacramenti susceptionem. His peractis, vt dictum est, ad id iam ferri de-

B v bet

Quomodo ad testamentû vel ad codicillû faciendum adducatur.

Quomodo ad extremam vntionem adducatur.



Methodus adiuuandi

bet eius, qui morientem iuuat intentione, ut in fidei, spei, & charitatis exercitatione, & constitutione coniuncta; ad securitatem salutis, & meritum morientem disponat, iuxta ea, quæ quattuor sequentibus capitibus continentur.

SI TEMPVS prolixius morienti datur, & mens sana est, aliqua ei legi possent ex his, in quibus spiritualem consolationem & auxilium sanus sentiebat, & interdum (si timeretur probabiliter, quod sit confessus negligenter) diuina præcepta explicari expediet, ut si quid oblitus esset in confessione, in memoriam reducatur.

Nimia spes vite ne detur infirmo.

ADVERTATUR etiam, ne nimia spes vite temporalis infirmo detur: accidit enim & propter incertam huiusmodi spem, ad æternæ vite consecutionem, non ut oportet, serio vt disponat: hortari satis conuenit, vt per contritionem & theologalium virtutum exercitationem, perfectam animæ salutem & profectum diligenter curet, & si expedit, vt corporis salus etiã restituatur, Deus eam adiciet.

Petatur ab infirmo, an quid faciat

QUAMVIS audiat Sacerdos qui ad moriturum accedit, quod omnia sacramenta is susceperit, &

telta-

eos, qui moriuntur. 18

testamentum condiderit, petere ab eo nihilominus posset, an aliquid sit, quod conscientia ipsi diceret superesse. & si diceret aliquid, in quo iuari eum oporteat, id faciat. si seruos tantum, vel sollicitudinem ac timorem non necessarium esse animaduertit, bono animo, & quieto esse iubeat, & ad alia, quæ inferius dicuntur, se conuertat.

dum sibi superesse putet.

Quomodo sunt exercendi qui moriuntur, circa fidem, præcipue qui non distincte, quæ oportet, nouerunt.

Cap. V.



SI animaduertet, qui iuuat morientem, quod in iis, quæ ad fidem pertinent, quamuis omnia, quæ oportet credat, non tamen explicitè prout tenetur credat, necessarium est ei in hac etiam parte auxilium ferat. hoc autem sciet per aliquam expositionem articulorum fidei breuiem, & captui personæ ac-

Quomodo instruendus qui non satis explicitè credit, quæ oportet.

B vj como-



Methodus adiuvandi

comodatam. vt si dicat ad eum dicamus charissime frater, vel domine, simul Apostolorum symbolum, & illud inchoando, vel si videbitur, absoluendo, vernacula lingua explicet modo paraphrastico, singulos articulos, quos latinè dixerit. Vel eos, quorum explicatione magis egebit infirmus, pro iis, qui peritiores alioqui sunt, vel sibi videntur, vt tamen indigere aliqua distinctiore cognitione articulorum fidei depræhenduntur, posset alius sumi modus, scilicet se commendantis Deo, vt dicat præeunte eo, qui iuuat, commendo me tibi Sancta Trinitas, Pater, Fili, & Spiritus Sancte, qui in vnitate substantiæ, vnus & verus es Deus, commendo me tibi Pater omnipotens, qui me, ino & cælum & terram, & omnia visibilia, & inuisibilia creasti. Commendo me tibi Domine IESU CHRISTE, qui propter me, & generis humani salutem, missus à Patre æterno in hunc mundum, virtute Spiritus Sancti conceptus, & natus homo es de Maria Virgine, passus, mortuus, & sepultus, ad inferos descendisti, & liberatis ex eo Sanctis Patribus, & aliis electis, resurrexisti ter-

tia

eos, qui moriuntur. 19

tia die, & ascendisti cum omnibus, quos de limbo eduxeras in Cælum, & sedes ad dexteram patris, inde venturus in die iudicij ad omnes homines (qui tunc resurgēt in corporibus suis) simul iudicandos, vt illis, qui in gratia tua mortui fuerint, vitam æternam dones: eos, qui in peccatis mortalibus, sine penitentia decesserint, in supplicium æternū condemnes. Commendo me tibi Spiritus Sancte, qui ex Patre & Filio procedis, quem cū Patre, & Filio simul adoro & glorifico. qui viuificas vnā sanctam, Catholicam, & Apostolicam Ecclesiam, in qua septem sancta Sacramenta ad peccata remittenda, & ad gratiam tuā hominibus, per ea, conferendam constituisti, & supplex à te peto, per Iesum Christum summum mediatorem nostrum, per beatissimam eius Matrem, per Angelos & Sanctos tuos, vt me ad beatitudinem, quam tuis electis præparasti, simul cum Patre & Filio perducere digneris. Amē. Idem per modum oblationis fieri posset, vt offero me tibi Sanctissima Trinitas, Pater, Fili, & Spiritus Sancte &c. vt supra. Posset & modus cōsecrationis addi hæc ratione, miserere mei Sanctissima Trini-

tas,

Quomodo qui videntur sibi peritiores instruantur, per modum oblationis.

Quomodo per modum oblationis. Per modum consecrationis.



Methodus adiuvandi

tas Pater, Fili, & Spiritus Sancte, vnus Deus propter bonitatem infinitam, quæ per verbum increatum, omnia visibilia & inuisibilia creasti & c. quæ perditum genus humanum redemisti, qua per verbum incarnatum & c. qua Ecclesiam sanctificasti per Spiritum sanctum & c.

Quomodo instruetur per modum actionis gratiarum.

POSSET hoc fieri & per modum gratiarum actionis, vt si quis diceret, gratias ago tibi Deus omnipotens, Pater, Fili, & Spiritus sancte, trinus & vnus Deus, qui me & vniuersa creasti: gratias ago tibi fili Dei altissime Iesu Christe, qui pro me & toto genere humano, homo factus es, & sic incarnationis mysteria prosequi poterit. & de Sancta Ecclesia, & Sacramentis, remissione peccatorum, carnis resurrectione & vita æterna.

Quomodo per modum erigendi spem.

POSSET idem fieri & per modum erigendi ægrotum in spem, dicendo, vt memor sit qualem habeat patrem, per creationem, & adoptionem, & ita explicabit aliquid de articulis diuinitatis, & qualem habeat redemptorem, scilicet Iesum Christum, & sic explicare poterit mysteria incarnationis, & qualem consolatorem, & sic explicabit, quæ de Spiritu sancto, & eius effecti-

bus

eos, qui moriuntur. 20

bus reliqua pars symboli continet.

POSSET & teneri alia via quasi ponderationis, vt si diceret ægrotus, frater Dei omnipotentis Patris & Filij, & Spiritus Sancti, qui dedit tibi, & rebus omnibus esse, virtutem & omne bonum, quia creator est Cæli, & Terræ, & vniuersi: memor esto Domini nostri IESU CHRISTI, qui pro te, & totum genus humanum, cum esset verbum patri æternum, & coæquale, homo fieri voluit, & sic de reliquis articulis. & aduerte, quod quamuis ægrotus sciat explicitè articulos fidei, quantum satis est, quia exercere actum fidei, meritum & sanctum est, & quia fides est substantia rerum sperandarum aliqua ex præcedentibus opportunè cum ægrotus tractantur, variando modum, eas proponendo, & nunc hoc nunc illo, vtendo.

Idem per modum ponderationis.



Quo-



Methodus adiuuandi

Quomodo sit spes erigenda, & exercenda.

Cap. VI.

Triples dispositio circa spem.

QVI iuuat morientem, circa spem tripliciter procedere potest cum eo, secundum quod triplex est egrotantis dispositio, circa illam. aliqui enim defectu spei valde laborant, siue ex complexione timida id accidat, siue ex memoria peccatorum multorum & magnorum, siue ex Demoniis instigatione, qui vt sanis, misericordiam Dei sine iustitia, considerationem proponit, vt peccare audeant, ita morientibus iustitiam, sine misericordia ob oculos ponit, vt de venia desperent. Alij contra excedunt in spe, vel quia cogitant bona, quæ sibi egisse videntur, & de sua iustitia præsumunt, vel quia solum in Dei misericordiam, & Christi meritum oculos coniciunt, & suorum peccatorum ac iustitiæ Dei obliuiscuntur. & vt priores erigendi, ita posteriores dirigendi sunt. alij ad neutrum videntur extremum declinare, sed tamen ad meritum exercitationis spei, & consolationem ipso-

rum,

eos, qui moriuntur. 21

rum, sunt iis, quæ ad spem pertinent, iuuandi, & exercendi. de his modo agetur, de aliis infra suo loco.

CVM autem primarium spei obiectum sit Deus, vt fons & auctor beatitudinis, vt spes erigatur, & exerceatur, duo nobis curanda sunt. alterum est, vt in moriente desiderium excitetur beatitudinis, alterum vt confidentia de ea obtinenda augetur. desiderium excitatur, hæc vel similia dicendo, & magis vel minus explicando, prout opus esse videtur. Charissime enim bono animo esto, iam accedit finis peregrinationis tuæ, & laborum, & afflictionum, quibus plena est vita præsens; dic cum Sancto Propheta. Legatus sum in his, quæ dicta sunt mihi, in domum domini ibimus, vbi nullam senties molestiam, nullum dolorem experieris. quia iuxta eundem Prophetam. Non accedet ad te malum, et flagellum non appropinquabit tabernaculo tuo (& vt Io. ait) absterget Deus omnem lachrymam ab oculis eorum, neque clamor, neque dolor erit vltra, fugiet dolor & gemitus. Erige oculos mentis ad celestem illam & securissimam ciuitatem, vbi nulla iam pericula peccandi, nullæ tentationes mun-

di,

Quomodo desiderium beatitudinis excitandum.

Psal. 121.

Psal. 90.

Apo. 21.



Methodus adiuuandi

- di carnis, vel dæmonis, sed victoriæ iucundissimæ fructus capietur, quàm libenter cantare velles cum aliis beatis, o frater, trásuimus per ignem & aquam, & eduxisti nos in refrigerium? quàm libenter experieris illud Prophetæ, Ecce ego declinabo super eos quasi fluium pacis? quàm beatum est nulla iam in re offendere oculos Diuinæ Mæstatis, sed viuere in sanctitate & iustitia coram ipso omnibus diebus nostris, idest in tota æternitate? Charissime non habemus hic ciuitatem permanentem (vt ait Apostolus) sed futuram inquirimus, scilicet patriam nostram Hierusalem Cœlestem, ciuitatem pulcherrimam, spaciosissimam, amœnissimam. Dic cum Propheta: Stantes erant pedes nostri in atriuus tuis Hierusalem. Dic cum eodem: Quàm dilecta tabernacula tua domine virtutum, concupiscit & deficit anima mea in atria Domini: quia melior est dies vna in atriuus tuis super millia. O, quàm gaudebis cum in ea inueneris ciues, tam amabiles, tam nobiles tantæ dignitatis, tantæ opulentia, ideo dicitur Regnum Cœlorum, quia singuli sunt Reges, iuxta illud Apocalip.
- Psal. 65.
Esa. 66.
Luc. 1.
Heb. 13.
Psal. 122.
Apoc. 5.

Fe-

eos, qui moriuntur. 22

Fecisti nos Deo nostro regnum & Sacerdotes, & regnabimus super terram: non super istam terram, vbi Reges ad breue tempus, & cum magna sollicitudine & laboribus regnant, sed super terram viuentium, vbi summa quies, vbi vita est perfecta, vbi mors exulat in sempiternum: omnes sunt filij Dei, & si filij & heredes. quàm iucundum erit versari cum societate tam numerosa, idest cum Angelis & Sanctis omnibus, sapientia ac virtutibus splendidissimis, tanta charitate se inuicem diligentibus, vt propter eam singuli omnium aliorum bonis, tanquam propriis fruantur.

NE sis sollicitus si corpusculum hoc consumitur, quia seminatur per mortem in terra, vt resurgat suo tempore victurum in Cœlo Empyreo, sed multo melius dispositum, quàm modo est. nam (vt inquit Apostolus) seminatur in corruptione surget in incorruptione, seminatur in ignobilitate, surget in gloria, seminatur in infirmitate, surget in virtute: seminatur corpus animale surget spirituale, & declarari possunt hæc, vt videbitur, & diuidi: rursus dici potest (sed magis cum his, qui prudentiores sunt

& eru.

Rom. 8.

1. Cor. 15.



Methodus adiuuandi

Exod. 33.

3. Ti. 6.

1. Cor. 1.

Io. 17.

1. Cor. 1.

Esa. 64.

1. Cor. 2.

Pfal. 35.

& eruditiores) charissime, à tenebris ignorantiae huius mundi, ad ipsam lucem veritatis, & hominibus, dum hic viuunt, absconditam, pergis, non videbit me homo & viuet, dicit dominus, de viuentibus in vita mortali, de quibus etiam (ait Apostolus) quod Deus lucem habitat inaccessibilem; sed iis, qui ad celestem vitam perueniunt, æternam suam veritatem & infinitam pulchritudinem facie ad faciem Deus ostendit. & tantum bonum est illam videre, vt facis sit ad beatos in perpetuū faciendos, tam homines, quam spiritus Angelicos, ea visio. Vnde Christus ait. Hæc est vita æterna, vt cognoscant te solum verum Deum, & quem misisti Iesum Christum. Sed cum hac visione, summi veri & summi pulchri, coniuncta est fruitio summi boni, & possessio in æternum duratura summe iucunditatis; vnde Esaias, & post illum Paulus ait, quod nec oculus vidit, nec auris audiuit, nec in cor hominis ascendit, scilicet quanta sit magnitudo felicitatis, quam præparauit Deus diligentibus se, quam vt potest describens (Propheta ait) Inebriabuntur ab vberitate domus tuæ, & torrentem vo-

119 35

lupta-

eos, qui moriuntur. 23

luptatis tuæ potabis eos, quoniam apud te est fons vitæ. dic ego charissime cum Dauide, sicut ceruus desiderat ad fontes aquarum, ita desiderat anima mea ad te Deus, sitiuit anima mea ad Deum fontem viuum, quando veniam & apparebo ante faciem Dei? & cum eodem, Hei mihi, quia incolatus meus prolongatus est: & cum Paulo cupio dissolui, & esse cum CHRISTO &c. nec omnia omnibus simul, sed ex his aliqua, quæ videbuntur, dicenda sunt, & paulatim, & vernacula vel latina lingua prout moriens melius intelliget, vel prout eidem gratius erit, & iuuuanti commodius.

Quod attinet ad confidentiam de obtinenda beatitudine, & mediis, quæ ad eam ducunt, scilicet gratia, virtutibus, & meritis, qui iuuat morientem triplici vti poterit via. Vna exhortando ad eas bonas operationes, quæ possunt ab ægotante in eo statu præstari. cuiusmodi sunt eleemosynæ in usum pauperum & piorum operum, vt superius dictum est, vel viuente ipso (quod magis optandum est,

Pfal. 41.

Pfal. 41.
Philipp. 1

De iis, que ad confidentiam firmam adiuuant.

119 35

si com-



Methodus adiuuandi

si commodè fieri potest) larga manu donata, vel testamento aut codicillo saltem relicta; discretionè tamen vtatur, qui iuuat morientem, ne quid suadeat, quod secundum rationem & cum ædificatione fieri nequeat. Actiones etiam interiores exercentes Fidem, & Spem, & Charitatem, & simul contritionem (de quibus in præcedente, & hoc & sequente capitulo agimus) multum conferunt ad confidentiam augendam, imò & charitatem, si seriò, & cum affectu fiant, vt morte vicina fieri à quibusdam olet.

Alia est via considerationis, cum ea proponit, qui iuuat morientem, quæ apta sunt ad erigendum, & roborandum affectum fiduciæ, & ægrotus adniti debet, vt præuentem, saltem mente sequatur. Proponere ergo potest, hæc & similia ad hunc modum charissime N. si valde amabilis & desiderabilis est tibi gloria beatorum, erigere in confidentiam eius obtinenda, nec vires tuas debiles consideres, sed audi Psalmist. dicentem: Viriliter age, & confortetur cor tuum, & sustine Dominum. Scito quòd Deus, cuius est dare gratiam, &

Per considerationem
spes excitatur, primò bonitatis Dei.

P sal. 26.

glo-

eos, qui moriuntur. 24

gloriam, tibi vult eam conferre, quia bonitas est infinita, & per suammet naturam sui diffusua, & communicatiua suæ beatitudinis, & tantæ generositatis ac nobilitatis est, vt libètius det magna, quàm parua. Adde quòd amat te, vt artifex amat suum opus, imò vt pater filium suum, cuius bonum magis desiderat, quàm ipse filius. Vnde tu non tam ardentè desideras beatitudinem obtinere, quàm Deus desiderat eam tibi dare; quare ergo non confides te obtenturum? ad hoc vt esses beatus, e nihilo creauit te, & vt perditum à primis parentibus ius regni cælorum recuperares per mortem vni geniti filij sui in baptismo adoptauit te, & cum propter peccata propria illud ius sæpe perdidisset, per gratiam contritionis & sacramentorum pœnitentiæ, in virtute sanguinis Christi, sæpe in pristinum statum restituit te, vt sis filius, & hæres regni sui, si te fugientem, & contemnentem se tot modis quæsiuit, vt ab ipso, idest summo bono, non excideres, quanto magis cupientem, & quærentem, ad illud promouebit?

V E R T E rursus oculos charis-

sime

Secun-



do, meritorū Christi.

Methodus adiuuandi

simè frater ad IESVM CHRISTVM Dominum nostrum & considera ea, quæ pro te agere & pati triginta tribus annis, dignatus est, & quòd propter diuinæ personæ dignitatem infinitam, & propter excellentissimæ gratiæ, charitatis, obedientiæ, & patientiæ perfectiōnem, excedit eorum valor omnia creata bona, tam temporalia, quàm perpetua, quæ omnibus & singulis hominibus conferri possunt, & tamen iustum est, vt tanto pretio pro nobis soluto, fructus nostræ salutis respondeat. ipse autem est, ad quem pertinet beatitudinem tibi donare, qui tantopere te amauit, & beatum facere concupiuit, vt propter id factus sit homo, propter id mortuus sit in cruce, propter id ipsum in cibum Eucharistiæ se tibi tradiderit, vt sicut tibi in hac vita se dat velatum ad meritum, ita in vita æterna se tibi dat reuelatum ad gloriam, quomodo ergo talis frater te non coheredem faciat, sic exinanitus, & pauper factus est? talis amicus, qui pro te nihil petente dedit vitam suam, te supplicem, & ab ipso beatitudinem cum fiducia petentem, non exaudiet?

VIDE

eos, qui moriuntur. 25

VIDEBETIAM charissime, quàm multos intercessores habeas apud Deum, quanta autoritatis apud ipsum, quàm tibi beneuolos, in primis Beatam eius Matrem, quæ est scælix cœli porta. cœli dum viueres tibi fuit mater gratiæ, mater misericordiæ, vt non excideres à summo bono, propter peccata, sed ad illud per diuinā auxiliā promoueris, multò magis in hac hora tibi erit propitia. dic ergo illi, Eia ergo aduocata nostra, illos tuos misericordes oculos ad nos conuertere, & Iesum benedictum fructum ventris tui, nobis post hoc exilium, ostende, & quæ sequatur. Omnes hierarchias & ordines cœlestes, & peculiariter Angelum tuum custodem, tibi adesse intellige, pete & dic. Omnes Sancti beatorum spirituum ordines, intercedite pro me. Omnes Sancti, & illi præcipuè, qui tibi viuenti patroni fuerunt, in tempore opportuno, quale hoc est, non tibi deerunt, pete eorum ex animo auxilium, & dic omnes Sancti & Sancta Dei, intercedite pro me. qui apud patrem amantissimum, & suapte natu-

tertiò, tot intercessorum, Mariæ, Angelorum, & Sanctorū.

210 194

2391 3901

11111111

C

18



Methodus adiuuandi

ra benignissimum, & optimum, tam multos aduocatos habes: hæc vtilia etiam erunt ad diffidentes erigendos de quibus infra.

AETIA est via ad spem excitandam, scilicet orationum, quæ breues formari debent ex scripturis desumptæ, vel deriuatæ, vt præeunte eo, qui iuuat, sequatur agrotus, ore simul & corde, vel saltem corde, quales sunt, quæ sequuntur: **P**ater sancte, qui creasti me ad te, in quietum est cor meum, donec perueniat ad te, deducas me precor, licet propter peccata indignissimū, ad te vltimū & felicissimū finem meum, per infinitam misericordiam tuam.

PATER, qui me figmentum manuum tuarum, in gratiam vni geniti filij tui, adoptasti, & eius cohæredem esse voluisti, quamuis propter peccata mea indignissimus factus sim tanto bono, fac mecum secundum diuitias bonitatis tuæ, & per eundem Dominum **I**ESV **M** **C**H **R**I **S**T **V**M deduc me ad confitendum nomini tuo in sempiternum.

PATER, qui vt seruum redimeres, vni genitum filium tuū de-

disti,

eos, qui moriuntur. 26

disti, & in eo peccata nostra puni uisti, miserere mei, & ne permittas ab vltimo me sine excidere, nec pereat in me tantum prærium, quo redemisti me, sanguinis scilicet & vitæ filij tui dilectissimi Domini nostri **I**ESV **C**H **R**I **S**T **I**.

IN **T**E Domine speraui, non confundar in æternum: in iustitia tua libera me. In Domino meo **I**ESV **C**H **R**I **S**T **O**, qui factus est mihi iustitia, sanctificatio & redemptio, salua me, & ad te videndum deducere digneris.

QUARE tristis es anima mea, & quare conturbas me, spera in Deo, quoniam adhuc confitebor illi, salutare vultus mei, & Deus meus.

BEATI, qui habitant in domo tua Domine, in secula seculorum laudabunt te: deduc me, bonitas infinita, ad locum, vbi te perpetuò laudare, & de tam multis magnisq; beneficiis agere dignè gratias in sempiternum possim.

DOMINE **I**ESV **C**H **R**I **S**T **E**, qui doloribus & afflictionibus, mihi debitis, animam & corpus tuum sacratissimum impleuisti, vt bonis æternis, & felicitate debita, animam & corpus meum implores, tu

C ij dixi-

Psal. 30.

Psal 41.



Methodus adiuuandi

Ioan. 11.

dixisti, Ego sum resurrectio & vita, & qui credit in me, etiam si mortuus fuerit uiuet, & qui uiuit & credit in me, non morietur in æternum, credo in te per misericordiam tuam, & spero videre bona tua in terra uiuentium, adiuua me per temetipsum, Deus meus.

Pfal. 26.

Pfal. 5.

INTROIBO in domum tuam, adorabo ad sanctum templum tuum, & confitebor nomini tuo, te deducente, Domine Iesu Christe, & ad temetipsum perducente, qui es uia, ueritas & uita nostra.

Pfal. 15.

PROUIDEBAM Dominum in conspectu meo semper, quoniam à dextris est mihi, ne commouear, propter hoc latatum est cor meum, & exultauit lingua mea, in super & caro mea requiescet in spe, quoniam non derelinques animam meam in inferno, notas mihi fecisti uias uita, adimplebis me lætitia cum uultu tuo, delectationes in dextera tua usque in finem.

Quomodo spei miscenda est contritio.

Pfal. 50.

UT etiam cum spe contritio miscetur, possent dici sequentes uersus. Miserere mei Deus, secundum magnam misericordiam tuam, & secundum multitudinem miserationum tuarum dele iniquitatem meam, amplius laua me ab iniquitate mea, & à pec-

in b

ij c

cato

eos, qui moriuntur. 27

Cato meo munda me, quoniam iniquitatem meam ego cognosco, & peccatum meum contra me est semper. tibi soli peccaui, & malum coram te feci. Et infra, asperges me domine hyssopo, et mundabor lauabis me & super niuem dealbabor, auditui meo dabis gaudium & lætitiā, & exultabunt ossa humiliata, auerte faciem tuam à peccatis meis, & omnes iniquitates meas dele. Cor mundum crea in me Deus, & spiritum rectum in noua in uisceribus meis. ne proicias me à facie tua, & spiritum sanctum tuum ne auferas à me, redde mihi lætitiā salutaris tui, & spiritu principali confirma me.

Ad reparanda etiam mala, sibi & proximis illata, & bona amissa, uel ommissa, uel imperfecte acta, possent sequentes dicere, quas uoces uel salutem animo sequatur ægrotus interpolatim, uel ut opportunius uidebitur. Domine Iesu Christe, reparator meus es tu, instaura ergo queso, que ego destruxi in me ipso, abutendo donis tuis ingratiſſimè contra te, & in proximis malo exemplo, uerbis, & actionibus meis ipsum offendens, repara queso, detrimenta uita mea, quæ heu nimis inutiliter & malè traxi, amittèdo dona tua, & omitten-

Spes exte ditur ad reparatiōnem uitæ antea actæ.

Spes exte ditur ad reparatiōnem uitæ antea actæ.

uobis

C ij

do,



Methodus adiuuandi

do, quę agere ad profectum meum, & proximorum debui: sed tu de thesauro tuo inexhausto, refarcire potes omnia hæc damna: supple etiam amatissimę Domine Iesu, imperfectionem actionum mearũ, quę propter tepiditatem meam, & admixtionem vanitatis, & aliarum mearum imperfectionum ex parte mea exigui sunt valoris, & meriti, nisi de tua plenitudine earum defectum suppleueris. coniunge obsecro, indignissimum obsequium meum cum omnibus, quę tu egisti & passus es, ex tam perfecta charitate & obedientia, & cum diuitiis satisfactionum & meritorum dilectionis, patri æterno illud offerre digneris, vt de tua plenitudine mea paupertas dicetur coram diuina iustitia, & bonitate: & sic alię possent formari orationes, si sit opus.

Spes extēditur ad pœnā peccatorum deprecandam.

Matth. 18.

AD deprecandam etiam pœnam, & pro Indulgentia plenaria supplicandum, possent dici sequentes orationes, Pater misericordiarum, & Deus totius consolationis, qui etiam serui bona tua dissipantis, & nequam misertus, omne debitum eius dimisisti, quia rogauit te, ego seruus ille nequissimus, qui to-

tiens

eos, qui moriuntur. 28

tiens non temporales solum, sed æternas pœnas commerui, à te tamen suppliciter peto, vt propter bonitatem tuam, & propter passionem & mortem Domini Nostri Iesu Christi, in quo omnes nostras iniquitates posuisti, & puniisti, condones mihi vnuersa delicta mea, & pœnas etiam propter ea debitas dimittere digneris.

DOMINE IESU, cui pater omne iudicium dedit; qui dixisti, si dimiseritis hominibus peccata eorum, dimittet & vobis Pater vester cœlestis delicta vestra: Ecce ego ex animo dimitto propter te, omnibus, qui me quocunque modo offenderunt, etsi in multo pluribus me offenderint, propter te paratus essem eis dimittere. Clementiã ergo tuam precor, vt secundum multitudinem, miserationum & veritatem promissionum tuarum, efficaciter applies mihi, satisfactionis, quam pro me persoluisti, thesaurorum, & perfectè dimittas peccata mea, veniam ad omnes culpas & pœnas extendendo, vt ex custodia corporis educta anima mea, citius ad confitendum nomini tuo, & ad misericordias tuas in æternum cantandas perueniat. & alię eius-

Io. 5.
Matth. 6.

C iiij modi



Methodus adiuuandi

modi formati possent: quædam ex his, quæ 8. cap. dicuntur, ad spe exercitationem, (vt etiam fidei, & charitatis, & contritionis) crucifixi imaginem in manibus habendo, vtiliter dici poterunt.

Quomodo charitas in moriente sit exercenda

& promouenda.

Cap. VII.

QUOD attinet ad charitatem seriuo det operam qui iuuat morientem, vt in ea exerceatur & inflamatur, est enim finis & summa bonorum omnium, & optima dispositio ad transeundum ab hac vita in futuram; imo quia maior, Deo augente, reddi potest iis actibus, si intenti sint, & ad premium augendum valde conferre, seriuo id est incumbendum. Primo per modum considerationis. Secundo per modum orationis. Tercio per modum exemplorum. Subsurgendo & admiscendo, quæ contritionem veram charitate informatam, augeant. sic ergo morientem alloquatur poterit. Charissime N. lex &

ibon iij C

Pro-

eos, qui moriuntur. 29

Propheta pendet ex dilectionis præcepto, quo ex toto corde, tota anima, tota mente, & totis viribus diligere Deum oportet, non tantum quia nobis summè necessarius est, & summè vtilis, (cum & nostrum esse, & bene esse, ac tota beatitudo nostra, & eorum, quos amamus, ex ipso pendeant) sed multò magis amore puro diligendus nobis est, gaudento de ipsius omnipotentia, sapientia, bonitate, & felicitate infinita, & optando, vt omnes homines eum cognoscant, honorent, obediunt, & diligant eum. & id imprimis propter suam absolutissimam perfectionem, & bonitatem, ob quæ dignissimus est amore. dic que-so, si homo aliquis, omnium hominum perfectiones, & excellètijs in se haberet, id est omnem sapientiã, virtutem, pulchritudinem, nobilitatem, bonitatem, ac felicitatẽ, quàm dignus esset amore? at certè in Deo non tãtum hæ perfectiones, & omnium aliarum rerum visibilibum, aut etiam Angelicorum spirituum inuisibilibum (quæ sine comparatione maiores sunt) inueniuntur sed ipse est omnibus alijs fons totius sapientiæ, virtutis, pulchritudinis, suauitatis, nobilitatis;

Charitas inflammat per modum considerationis.

C v bo-



Methodus adiuuandi

bonitatis, & sc̄licitatis, & omnium perfectionum, & excedit omnia simul, in infinitum, ita vt omnium creaturarum sapientia, bonitas, decor, & reliquæ perfectiones, quæ ipsas reddunt amabiles, si cum diuinis comparentur, velut nihilum sint reputandæ. quæ enim est comparatio finiti ad infinitum? quantum ergo debemus amare Deum, propter seipsum, cuius perfectionis immensæ, vel sola visio beatorum homines & Angelos facit?

Propter præuenientem eius dilectionem.

Secundò, diligendus est, propter eius charitatem præuenientem, quoniam ipse prior dilexit nos, & quidem affectu, sine comparatione maiore, quàm vllus pater suum filium, vel vllus amicus suum amicum, nec vllus sponsus suam sponsam. idè iis nominibus Patris, amici, & sponsi vocari voluit, vt ex nominibus, quæ ardentissimam inter homines dilectionem significant, quanta sit eius in nos dilectio aliquo modo intelligamus. si ergo amor cuiusuis, qui te amaret, ad redamandum obligaret, & si esset magnæ dignitatis, vt Rex aliquis, vel Pontifex, magis adhuc à te redamari deberet, qua quæso charitate Deum diligere debes, qui per-

petua

eos, qui moriuntur. 30

petua charitate dilexit te? certè si propter temetipsum amare pigeat tantæ perfectionis Deum, ne pigeat eum redamare tanta te dilectione præuenientem.

Tertiò, diligendus est, propter beneficia, quæ etiam bestias ad redamandum cogere solent, vt de leonibus legimus, & de aliis quotidie videmus. considera beneficia naturæ. Certè à Deo accepisti esse tuum & vitam, quam habes, qui parentibus tuis virtutem, ad corpus tuum generandum, dedit; & ipse animam tuam, ad imaginem sanctissimæ Trinitatis, memoria, intellectu, & voluntate præditam, & beatitudinis æternæ capacem creauit. si oculi tui, si auditus, si reliqui sensus, si omnia corporis membra, si creaturæ aliæ, quas in cibum, & potum, & vestimentum & habitationem & alias commoditates tuas & auxilia, tibi dedit, grata & amabilia fuerunt, si Cœlum ipsum, & Angelorum ministeria, tantum tibi vtilitatis & honoris, tribuerunt, quantum debes amare illum, qui tibi omnia gratis donauit, ex amore purissimo, quo te dilexit, nullam suam vtilitatem à te expectando, sed tantum amoris compensatio-

Propter beneficia nature, vel creationis.

C vj nem



Propter
beneficia
gratiæ, vel
redemptio-
nis.

Propter
beneficia
glorifica-
tionis.

Methodus adiuuandi

nem requirendos?
PROPTER beneficia gratiæ maiorem etiam debes Deo gratitudinem, cum pater æternus, vt te feruum redimeret, suum filium vnigenitum dederit, & quidem, vt te à morte æterna liberaret, mortis acerbissimam poenam subire ipsum voluerit, filius etiam ipse, vt te quem perditam ad cælum humeris suis reduceret, humiliavit semetipsum, formam serui accipiens, & laborans vsq; ad mortem crucis, vt eius inopia & doloribus tu diues & beatus esses. Spiritus sanctus te inhabitare dignatus est, & tam multis peccatis per gratiam suam expulsis, te donis suis & charismatibus præciosissimis ornare voluit. & nunc in vltima vitæ tuæ parte, tempus & commoditatem te præparandi ad hunc transitum dedit, nec subita morte te occupari permisit. vnde gratias agere ex animo debes.

PROPTER beneficia gloriæ tibi præparata, quantum debes diligere Deum, qui te confortem regni sui & fœlicitatis æternæ, vt filium & hæredem, imò vt sponsam esse vult, vbi bona percipias, quæ nec oculus vidit, nec auris audiuit, nec in cor hominis ascenderunt? & cor

mea

iv. 3

tè

eos, qui moriuntur. 31

te si beneficia hæc sunt magna, modus conferendi, & charitas, qua conferuntur, ipsi beneficiis maiora sunt, & magis te ad redamandum obligant.

PROPTER modum orationis potest & idem amor accendi, dicendo aliquid ex scripturis sanctis exceptum, vel aliter, quale illud est, Domine tu dixisti, Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, ex tota anima tua, & tota mente tua, & totis viribus tuis, auge ergo gratiam tuam, auge charitatem in me, vt sicut tu vis diligere à me, & ego cupio diligere te, sic te diligam. & quod in hac vita perfecte implere non possum, in æterna implere, te concedente, valeam.

QUID mihi est in cælo; & à te quid volui super terram, Pater cælestis? defecit caro mea & cor meum, Deus cordis mei, & pars mea Deus in æternum. da mihi obsecro, vt non tantum super omnia diligam te, sed omnia in te & propter te, & secundum te diligam, & sis mihi in omnia in omnibus, & in hac vita & in æterna.

QUOD mihi tribuat, vt perfecte diligam te, bonitas infi-

nita?

Charitas
per modum
orationis
inflamman-
da.

Mat. 22.

Psal. 72.

Methodus adiuuandi

finita? quando occupabis totum cor meum? quando totus ero tuus, sicut totum me tibi, multis modis debeo? veniat iam, quæso, illa hora, qua totum me possidere digneris, & totum cor meum tibi ego præbere possim.

Domine IESV CHRISTE, qui perpetua charitate dilexisti me, qua cum non essem, creasti me: qua cum perditus essem, reparasti me: qua cum totiens propria culpa perissem, ad gratiæ vitam resuscitasti me: qua te ipsum totum dedisti mihi, si me totum toties debeo pro me, quid debeo tibi pro te, qui in infinitum melior es me? adde hoc beneficiis tuis, Deus meus, ut sine modo & purissimo amore diligam te nunc & in sempiternum.

SPIRITVS Sancte, qui amor es & donum immensum Patris, & Filij, qui per charismata tua nos inhabitare, & te ipsum nobis donare digneris, auge in me, obsecro, purissimam, & ex totis viribus, ac tota fortitudine, tui dilectionem, in hac vita, quæ cõsummetur, & perficiatur in æterna.

CONGRATVRO & congratulor, superadoranda, & superamanda Trinitas, de infinita magnitudine

per-

eos, qui moriuntur. 32

perfectiõnis, pulchritudinis, sapientiæ, potestatis, & completissimæ felicitatis tuæ, & eam incomparabiliter pluris, quàm meam & omnium creaturarum felicitatem æstimo, & ut purissimum hunc tui ætorem in hoc exilio augeas, & in patria perficias, obsecro.

PER modum exempli aliqua præterea dici ad hunc finem possunt. ut de Beato Ignatio, in cuius corde nomen IESV insculptum inuentum est. de Arsenio, qui aliquando totus quasi ignis, exterius, ob ardorem interioris charitatis, conspectus est. de Beato Paulo, qui transformatus, per amorem, in Christum, dicit, Vivo ego, iam non ego, vivit verò in me Christus. de Beato Antonio, qui cum noctem in oratione ardentissima transisset, Soli iam orienti conquirens, dixit, quid, ò Sol, à veri luminis contemplatione me impedis? Beatus Franciscus, per ardentissimum amorè, crucifixi Domini Nostri Iesu Christi, stigmata eius in pedibus, manibus, & latere habuit, à Seraphin impressa. inuento etiam Ioanne de Rusbroech sub arbore, ardere arbor ipsa visa est, propter ardorem cordis eius in amore Dei.

Charitas
per modum
exempli
accèditur.

Gal. 2.

Dionyf.
Carthus.

S E D

Methodus adiuuandi

Actus cō-
pūctionis
ex affectu
amoris de-
ducendi.

SED actus compunctionis ex hoc affectu amoris deduci oportu-
nè poterunt ad hunc modum. Heu
me infelicem peccatorem, qui tan-
tam bonitatem, tantam maiestatem
Dei mei, totis rebus creatis & vili-
bus posthabui, hei mihi, qui cui de-
bui totis viribus meis placere, vene-
rari, & obedire, eum potius offen-
di, contempsi, & mandatorum eius
preuaricator fui. condona mihi tan-
tam peruersitatem meam, Deus
meus, secundum magnam misericor-
diam tuam.

PATER amantissime, qui pre-
uenisti me in benedictionibus dul-
cedinis, qui abiiciendū & vilem pec-
catorem sic amasti, & honorasti, e-
go sum ille ingrattissimus & omni-
bus pœnis dignissimus peccator,
qui talem patrem, talem amatorem,
talem benefactorem, toriens & tam
grauiter offendi. condona mihi, ob-
secro, per mediatoris & Domini
nostri IESU CHRISTI obe-
dientiam & charitatem, omnia deli-
cta mea, amplius laua me ab iniqui-
tate mea, & à peccatis meis munda
me. Pater misericordiarum, mise-
ricordiã fac huic pauperulæ crea-
turæ, et figmento manuum tuarū,
adiuua me in hac vltima nœcessita-

te

eos, qui moriuntur. 33

te succurre animæ egenti & de-
solatæ, ne à malignis spiritibus a-
te abstrahatur.

DOMINE IESU CHRISTE, vt
mundares animam meam, & laua-
res eam à peccatis, sanguinem
tuum effundere dignatus es, ego
tamen infelix & miser nimis pec-
cator, stolum illam puritatis in ba-
ptismo acceptam, multis modis
maculaui, & heu me, pro tanta
tua in me charitate, & beneficentia,
multiplices offensas ingrattis-
simè retribuui, sed bonitas tua,
præstabilis super malitia mea,
condonet mihi, precor vniuersa
fa delicta, applica mihi, quæso,
efficaciter præciosissimam mortem
tuam, & plene satisfacere pro ser-
uulo tuo, qui in te confidit, di-
gnare, & in electorum tuorum nu-
merum me recipi iube.

REGINA COELI, mise-
ricordiæ mater, refugium pecca-
torum, reconciliare, quæso, vni-
genito filio tuo, eius clementiam
pro me, interpellans, ob tui a-
morem meã remittat peccata, &
in suam gloriam perducat.

SPIRITVS coelestes, Angeli bea-
tissimi, & tu præcipue custos meus,
assiste mihi migratū ab hoc seculo,

et ab





Methodus adiuuandi

& ab infidijs aduersariorum eripite, & vt in vestrum consortium admittat, adiuuate. sic ad sanctos, & eos præcipuè, erga quos maiorem tribuit deuotionem, se conuertat &c.

Quid facto opus, cum quis ad iuuandum morientem aduocatur, à quo iam omnia necessaria facta esse perhibentur.
Cap. VIII.

HACTENVS dictum est, quomodo se habere debeat, qui ad eos, qui moriuntur iuandos, ab initio vocantur, vel certè cum aliqua de necessarijs agenda supersunt. sed aliquando aliqui accersuntur, ad iuuandum eum, qui iam Sacramenti susceptus, & testamento condito, vellet nihilominus ad bonum transitum in futuri seculi vitam, se magis disponere, vel alij ad hoc ipsum Sacerdotem nostrum euocant, tunc ergo, si compos mentis est egrotus,

post

eos, qui moriuntur. 34

post amantem salutationem, Euan- gelium illi aliquod, vt superius dictu est, recitare potest, vt Marc. vii. Recumbentibus vndecim Discipulis. & orationem pro infirmis, cum impositione manuum. & postea ad quattuor intentio iuuantis dirigitur. Primum est, vt si quid de necessarijs omissum est, suppleat. Secundum, vt promoueat ægrotantem, in iis, quæ ad Cõtritionem, & Fidei, & Spei, & Charitatis exercitationem. & consequentem consolationem & profectum pertinent. Tertium, vt animæ cõmendatione piè faciat. Quartum etiam aliquando addi posset, vt ad assistentium ædificationem aliquid dicat.

QVOD ad primum attinet, sci licet ad supplendum, si quid deesset, semotis arbitris, petat. vt in fine quarti capituli attingitur, an pacata sit eius conscientia, an aliqua in re maiorem adhuc quietem & satisfactionem requirat. si dixerit aliquid esse, audiat et prouideat: si non diceret, & nihilominus probabiliter timeri posset, quod aliquo supplemento opus esset, de sequentibus posset cum dexteritate interrogare. Primò an aliquid memoriæ occurrat, quod non latis explicitè

Ad quattuor dirigenda est intentio iuuantis morientem.

Quomodo supple- dum sit, quod omissu creditur.

sit



Methodus adiuuandi

fit confessus, & si id agnoscat, per reconciliationem suppleri facile poterit.

Secundò, an aliquid conscientiam grauet, ratione restitutionis rei, vel famæ, & si recordatur tale aliquid, & suppetet tempus, & facultas, curandum est, vt id statim fiat, vel si id commodè fieri non potest, saltem constituatür modus, quò certò & cito, quantum fieri poterit, id fiat, vt non relinquatur id testamentariis exequendum, (qui sepe tardiores sunt, quàm conueniat) quod viuente infirmo peragi potest: si deest facultas, proponat, si Deus vitam dederit, cùm primum ea dabitur, facere quod debet: si deest tempus, non facultas, in testamento vel codicillo, quàm poterit accuratè, provideat indemnitati creditorum, & vt quàm citò fieri queat, illis satisfiat.

Tertiò interroget, an prospexerit liberis (si quos habet) & præsertim sceminis, vel cuiunque curæ, aut administrationi, quam habeat, publicæ vel priuatæ, & ante ingressum ad ægrotum debet, (si fieri potest) informatio-

si

nem

eos, qui moriuntur. 175

nem capere, an tale aliquod munus ei incumbat, & de aliis, quæ poterit, & ad rem faciunt, sibi ignotis, vt sine causa non sit infirmo per interrogationes molestus. & si aliquid prouidendum est, vel per adhibitam aliquam diligentiam, dum ægrotus uiuit, vel per codicillum, additum testamento, curet fieri.

Quod ad secundum attinet, si is, qui moritur in meditationibus exercitatus est, & sponte sua aliquid tacens meditari vel orare videtur, & ideo quòd vir spiritualis sit, probabiliter existimatur, salubriter ipsam orare aut meditari, permittendus est sibi ad tempus, & in silentio similibus orationibus iuuandus, quia tamen in illa virium animæ & corporis imbecillitate, dubitari potest, an meditationi dare operam, vt oportet, possit; interrogare ab eo blandè expediet, an malit per se orare, an adiuuari ab eo, qui adest ipsi. imò licet dicat se orare, expedit aliquando (si dubitatur de aliqua illusione vel tentatione) petere quomodo se habeat & quid mète reuoluat, vt probetur

mito

si re-

Quomodo iuandus qui versatus est in rebus spiritualibus.



Methodus adiuuandi

Quid sug-
gerendum
fit morien-
ti ad medi-
tationem.

si rectè, vel dirigatur & iuuetur, si minus rectè aliquid in mente tractat. Si autem (vt ferè solet accidere) suggerendum erit ægroto aliquid, quod meditetur vel ore; valde vtiliter ei posse suggeri videtur, aliquod dictum Christi, quale illud est Matth. 11. Venite ad me omnes, qui laboratis, & onerati estis, & ego reficiam vos, vel aliquod mysterium passionis Domini (præsertim quod ipse cum spiritali gustu meditari sit solitus) & præcipuè Crucis, vt defigatur intellectus in iis tormentis, & mente amarissima meditando, quam filius Dei pro ipsius salute, tanta cum Charitate passus est. & affectus excitetur, ad dolorem suorum peccatorum, quæ sic in Christo puniuntur, & simul ad spem veniæ, cum profuso sanguine Agni immaculati, se ablutum intelligit, & ad confidentiam beatitudinis consequendæ, cum Christum repletum aspicit doloribus, vt sibi æternæ beatitudinis gaudia promeretur, & vt hæc & similia recorderetur, cum ipsum mysteriû proponitur, suggerendum est.

Quid agendum, cum non po-

Si non videtur sic dispositus, vt vtiliter meditari possit per se, dicentem tamen intelligere, & sequi

etiam

eos, qui moriuntur. 36

etiam ore, vel corde potest, expedit, vt qui iuuat, crucifixi imaginem in manibus tenendo, vel præsentem ostendendo (quod ad exercitationem multum confert) & osculandum aliquando exhibendo, suggerat ægroto, quæ ad quadruplices actus, scilicet contritionis, Fidei, Spei, & Charitatis, dicta sunt, 2. 5. 6. & 7. capite, vel si breuius quid placet, vel variare libet, dicantur, præcipuè cum vicinior est iam transitus, quæ hic subduntur, id est ad contritionem, ad hunc modum. Intuere, charissime frater, quam acerbos dolores, & quam ignominiosam mortem passus sit Dominus Iesus Christus propter peccata tua, displicere certè illa tibi debent plurimum, quæ tam graui remedio indigerunt, dicas ergo: Deus propitijs esto mihi peccatori, displicet mihi, quod offenderim te, Deus meus, auge tu, quæso, displicentiam hanc meam, & supple illam de doloribus tuis. Miserere mei secundum magnam misericordiam tuam. & similia. Ad fidem exercendam, dicat. Charissime recordare, quod Dominus Iesus Christus, cum esset Patri consubstantialis, coæternus, & in

test meditari, sed tamen inteligit adhuc.

Ad contritionem quid proponendum; ostensio crucifixi.

Quid ad fidem.

bea-



Methodus adiuuandi

beatitudine infinita coequalis, propter te homo factus, hanc, quam vides passionem & mortem amarissimam, in humana natura assumpta sustinuit, dicas ergo adoro te, Domine IESV CHRIS TE, qui per sanctam Crucem tuam, redemisti mundum, adoro te, Domine IESV, dicens, Deus meus & Redemptor meus, qui pretiosa morte tua, mundum viuificasti, posses & addere protestationem fidei, ad hunc modum. protestor coram omni Ecclesia triumphante & militante, quod firmiter credo, viuo, & morior in fide, quam Sancta mater Ecclesia Catholica & Apostolica profitetur, & si potest, dicat Credo in Deum Patrem omnipotentem, & sic prosequatur totum Symbolum, vel saltem sequatur mente preceuntem Sacerdotem, qui illud dicit.

Ad spem excitandam & roborandam, magis adhuc excitandus est ad hunc modum, intueri, charissime, imaginem IESV CHRIS TI, filij Dei, pro te, crucifixi, quia non est aliud datum nomen sub Cælo, in quo oporteat nos saluos fieri.

VIDE qualem erga te dilectio-

nem

eos, qui moriuntur. 37

nem habuerit filius Dei, qui tantis in tormentis mori voluit, vt per ipsum tu vitam æternam, & beatissimam consequeris. eius enim liuore sanati sumus, eius inopia diuites facti, eius morte scælices semper viuemus.

VIDE sanguinem tam largè fluentem ex manibus, ex pedibus, ex capite, et toto corpore, et demum ex corde ipsius transfixo, minima gutta huius sanguinis filij Dei sufficiebat ad lauanda totius mundi peccata, confide ergo, quod tua lauabit.

Considera spineam coronam, doloris & irrisionis insigne, flagella, quibus seruilem in modum fuit caesus, alapas, & demum Crucis supplicium, non solum doloris, sed etiã ignominie plenum, hæc omnia passus est, vt deleret peccata nostra, & ad honorem & gloriam regni sui nos promoueret. confide ergo, charissime, quod qui talia pro te tanto cum amore passus est, non te deseret in hoc tempore tuæ necessitatis. & si Damon obiciet tibi, quod multum peccasti, dicas: Dominus meus, & Deus meus, pro delendis peccatis meis, crucifixus est, in quem

D cre-

Esa. 53.



Methodus adiuuandi

credo, & in quo cōfido. sedet enim ad dexteram Patris interpellās pro me; dum Patri, quæ pro me egit & sustinuit in humana natura, ostendit. & adde, in te Domine speraui non confundar in æternum: in iustitia tua libera me. exurgat Deus & dissipentur inimici eius, & fugiant qui oderunt eum à facie eius, sicut deficit fumus deficiant, & sicut fluit cera à facie ignis, sic pereant peccatores à facie Dei. & alia huiusmodi.

Quid ad
charitatē.

Ad charitatis actus exercendos, dicat. Vide charissime, quibus signis ostendit Dei filius, quanti te fecerit, & quantum te dilexerit, maiorem charitatem nemo habet, quàm vt animam suam ponat quis pro amicis suis, vt non solum vitam Christus pro te, sed inter dolores & signominias extremas posuerit, vt hæc imago tibi representat. à planta pedis vsq; ad verticem capitis non est in eo sanitas, & hæc patitur, vt te faciat sibi socium in hæreditate Regni Cælestis. dic ergo, quid retribuam Domino, pro omnibus quæ retribuit mihi? certè nihil dignum possum retribuere, sed calicem mortis, pro eius amore libenter amplector, & laudare &

gratias

eos, qui moriuntur. 38

gratias habere, & agere in æternum desidero.

HORTETVR, vt resignet se totum in manus Dei, dicendo in manus tuas Domine cōmendo spiritum meum, redemisti me Domine, Deus veritatis. tu me creasti Deus meus, tu me redemisti, Pater sanctissime, totus sum tuus, fiat in me voluntas tua. illumina oculos meos, ne vnquam obdormiam in morte.

HORTETVR etiam, vt & B. Mariam inuocet in auxiliatricem, dicendo: Maria mater gratiæ, mater misericordiæ, tu nos ab hoste protege, & hora mortis suscipe. & alia huiusmodi. inuocet etiam Sanctum Michaelem Archangelum & Angelum custodem, & sanctum suum patronum, & alios, in quibus habere deuotionem est solitus, & demum Sanctos omnes, vt intercedat pro ipso, & adiuuent suis suffragiis, & meritis.

SI intelligit, & potest attentus esse, (præcipuè si mors diu protrahitur) legi potest Passio Domini, secundum aliquem ex Euangelistis, vel aliqua capita Beati Pauli præcipuè ex 1. & 2. ad Corinthios, & ex Epistola ad Philippenses.

D ij &

Commen-
detur ei
resignatio
in manus
Dei.

Psal. 12.

Inuocet
Mariam,
& Ange-
los, & san-
ctos.

Quæ legi
possunt
morienti,
si intelli-
git.



Methodus adiuvandi

& 2. ad Tim. & ex duobus vltimis cap. Apoc. legendo quæ oportet, & reliqua omittendo, & aliqui Psalmi, vt Qui habitat, Quam dilecta tabernacula tua, & ex pœnitentialibus aliqui, & Litanie. Nec deferendus est, quàm diu mentis est compos, imò in extrema agonia, maiore, quàm vnquam, charitate iuuandus est. quia Dæmon oppugnare quosdam solet atrociter, in eo transitu, vt Gregorius ait super illud Luc. 19. Circundabunt te inimici tui vallo, & coangustabunt te vndique. Cum simplicioribus (quamuis etiam cum aliis quibuslibet) iuuare possent hæc breuiora, quæ sequuntur.

Quædam breuia, quæ simplicioribus congruunt, vel aliis etiam.

Vt scilicet postquam exhiberit osculandum Crucifixum, præeat sacerdos, & ægrotus sequatur ore & corde, vel saltem corde, dicendo ad hunc modum.

DOMINE IESU CHRISTE, credo quòd Deus meus & Redemptor meus es tu, quem imago hæc representat. quicquid per Sanctam Ecclesiam Catholicam proponis credendum, fideliter, & firmiter credo, & in ea fide pro-

testor,

eos, qui moriuntur. 39

testor, me velle viuere, & mori.

DOMINE IESU dolet mihi, quòd tantam bonitatem offenderim, & dolet, quòd amplius non doleo de offensis, contra te Creatorem, & reparatorem meum in gratissimè, tam per commissiõnem, quàm per omissionem perpetratis. Et humiliter peto mihi condonari, per sanguinem, & vitam tuam, quam pro mea salute profudisti. & firmiter propono ab eis abstinere, si vixero, & vitam meam emendare. Et si quid vel oblitus sum, vel non cognosco, quòd offenderit Maiestatem tuam, de eo illuminari cupio, & pœnitere, & conteri, & interim de omnibus veniam peto.

OMNIBVS, qui me offenderunt ex corde meo, & libenter omnes offensas propter te dimitto, & si quem ego offendi, precor etiam mihi veniam dari & si aliquid alicuius est apud me, quantum teneor, & facultates meæ se extendunt, volo satisfieri omnibus, quibus ego debeo.

SPERO in diuina tua misericordia & in hoc sanguine, quem

D iij pro



Methodus adiuuandi

pro me effudisti tanta cum charitate, quòd me, licet indignum, saluum facias, et adimplebis me lætitia cum vultu tuo. et vt id facias, per sanctam passionem et mortem tuam, deprecor.

IN manus tuas Domine cõmendò spiritum meum, resigno in eis voluntatem meam, et subiicio illam tuæ sanctissimæ voluntati, et de vita et morte mea facias, secundum beneplacitum tuum, tantum vt ego toto te corde et tota anima, et tota mente diligam, laudem et benedicam in æternum.

SI tempus et personæ qualitas id feret, plura etiam ex dictis 5. 6. et 7. cap. adhiberi possunt. aduertatur autem, quòd ei, qui in agone mortis versatur, multum conferet si deuotè roget Deum, vt acceptet omnes orationes, quas pro ipso facient proximi eius, tam eo extremo tempore vitæ, quàm post mortem, in remissionem pœnarum, quæ ipsi in purgatorio essent subeundæ. Idem de sacrificiis Missarum et elemosynis intelligatur, & opportunè in memoriam morienti id redigatur.

De cõmendatione animæ & c.

QUOD ad tertium attinet, scilicet animæ cõmendationem (et

idem

eos, qui moriuntur. 40

idem intellige de aliis, quæ fieri possunt sine ipso ægroto, vt in penultimo capitulo dicitur) hoc animaduertatur, quod tunc maximè debet fieri, cum mors iam vicina imminet, & more Ecclesiæ consuetò fiat. intermiscenda sunt tamen aliqua verba (si adhuc putatur intelligere aliquid agonizans, licet non possit loqui) quale est, dicas charissime frater, sic nomen Domini nostri **I**ESV **C**HRI^STI benedictum. vel illud. **I**ESV fili Daud, miserere mei. vel illud, Deus in adiutorium meum intende, Domine **I**ESV ad adiuuandum me festina. & aqua benedicta interdum est aspergendus, præcipuè si visionibus videtur perturbari; & dicatur, vt corde, & si potest ore, inuocet nomen **I**ESV, & poterit deinde prosequi cõmendationem animæ.

DE quarto, scilicet Assistentium ædificatione, videatur capitulum vltimum.



D iij Qua



Methodus adiuuandi

Qua ratione sit iuuandus,
qui ex vitæ nimio desi-
derio, non satis æquo a-
nimo moritur, aut ac-
quiescit diuinæ volunta-
ti. Cap. IX.

ALIIQUI sunt, quos con-
cutit, & affligit plus æquo,
mortis timor, partim quòd
vitam hanc naturaliter diligunt, par-
tim quòd eis, quæ in mundo relin-
quuntur, affectu nimio adhærent.
& potest etiam hoc longioris vitæ
desiderium eò vsq; peruenire, vt
non æquo animo ferant, aut ac-
quiescant diuinæ voluntati, & sic
dum inuiti moriuntur, tria incom-
moda magna subeunt, vnum est,
quòd eò magis eos torquet ipsa
mors, quò magis voluntati prop-
riæ repugnat, iuxta illud Sapien-
tis. O mois, quàm amara est me-
moriam tua homini, pacem habenti
in substantiis suis? Secundum, quòd
eo se priuant merito singulari,
quod ex voluntaria morte, idest

cum

eos, qui moriuntur. 41

cum conformitate ad voluntatem
Dei, accepta, habituri erant: imò
addunt ostensam, si deliberatè re-
pugnant suæ voluntate, voluntati
Dei. Tertium, quòd se non bene
disponunt ad vitam, quæ est
sine fine iam iam secutura, dum
nimis de temporali hac morte tre-
pidant, & de pertinentibus ad
eam tractare perhorrescunt. Sunt
qui nolint huiusmodi hominibus
suum significari periculum, ne
contristentur, alij etiam vitæ diu-
turnioris spem dare solent. sed
profectò nullo modo expedit cer-
tam mortem secundum Medico-
rum sententiam, vel saltem graue
periculum eius, celare, quia sic fit,
vt non se præparent sicut oportet
in iis, quæ ad propriam ani-
mam, nec etiam interdum in iis,
quæ ad coniunctos & alios perti-
nent: expedit ergo magis pruden-
ti aliquo & suauis (quantum fieri
potest) modo, vel mortem immi-
nentem, vel eius graue periculum
eis significare, atque animare, vt
fortiter se gerant, & prudenter se
ad moriendum præparent. si enim
Deus vitam prolongare voluerit,
nihil nocebit se præparasse, quod
tamen omnino est necessarium,

Nō expe-
dit celare
infirmos
graue pe-
riculum
mortis.

D v si

Incom-
moda eorū,
qui inuiti
moriuntur.

Eccl. 41



Methodus adiuuandi

si mors (vt timendum est) breui succedat. si ergo vitæ nimius amor, acerbam facit mortem, iuuandus est primò orationibus, secundò exemplis, & auctoritatibus, tertio rationibus, vt ad moderationem ille reducatur.

Heb. 9.
Vitæ nimius amor reprimi-
tur ratio-
nibus.

Pfal. 88.

PRIMA ratio est, quòd secundum Apost. dictum, statutum est hominibus semel mori, post primorū parentum lapsū, & hac lege natus sumus, tam magnates, quàm plebei, vt moremur, iam inde à principio, vsque ad finem mundi. Vnde Dauid, quis est homo qui viuet, & non videbit mortem? & 2. Reg. 14. Omnes morimur & quasi aquæ dilabimur super terram, quæ non reuertuntur: itaq; si modo mortem euaderet, tamen breui omnino moriendum esset, & tributum hoc mortis persoluendum, & fortè non tam bonam postea se disponendi commoditatem haberet. cum tota vita præsens ad id data sit, vt per eam quasi peregrinantes, ad veram vitam, & æternam, in cœlesti patria perueniamus.

Secundà, cōsolari nos in morte debet amor Patris nostri æterni erga nos, & suauis eius prouidentia, de qua sperare oportet, quòd eo tem-

pore

eos, qui moriuntur. 42

pore nos vocat, cum magis nobis expedit. Vnde illud S. Chrysost. quòd boni tunc decedunt ex hac vita, cum meliores sunt; mali, cum minus mali, quàm futuri essent, si adhuc viuerent. ideo cum ipsi placuerit id facere, æquo animo mors est subeunda. & conuertendo sermonem, si videtur, ad ægrotum, dici poterit charissime N. bono animo esto, amat te Deus, vt opus manū suarum, ad sui imaginem factum, vt filium, quem adoptauit in Christo, non te deseret, neq; derelinquet, nec nisi suo tempore vitam tuam abscindet. quòd si modo te vocat, tibi persuade, quòd id ipsum tibi expediat.

Tertia, Quòd fidelibus, qui in Domino moriuntur, mors non est propriè mors, sed transitus ad meliorem vitam. Vnde in Eccles. dicitur, melior est dies mortis die natiuitatis, cum dies, quo nascimur, porta sit ad mortem; is, quo morimur, porta sit ad vitam perpetuam. Idem Salomon. Laudauit magis mortuos, quàm viuentes. & Psal. Prætiōsa in conspectu Domini mors Sanctorum eius. & expressius Christus, qui verbum meum audit, & credit ei, qui misit me, habet vitam

Eccl. 7.

Eccl. 4.
Psal. 115.

Ioan. 5.

D vj æter-



Methodus a diuandī

eternam, & in iudicium non venit, sed transit à morte in vitā. quis ergo fidelis eam mortē perhorrescere de beat, quæ ad vitam veram via est?

Quarta, præsentis vitæ miserias ab ineunte ætate considera, & forte diem vnum ab illis vacuum non inuenies. In exilio enim & in valle lachrymarum à Deo positi sumus, vt nos præparemus per pœnitentiam ad veram vitam, quæ æterna & tota fœlix est; non ergo debemus iniquo animo ferre, quòd ab exilio in patriam reuocemur; absit autem, vt simus huius mundi ciues, sed potius dicamus cum Apost. non habemus hic ciuitatem permanentem, sed futuram inquirimus, non ægrè feramus igitur, quòd à loco pœnitentiæ & lachrymarum, ad locum, vbi lætitia erit sempiterna super capita eorū, iuxta Esa. traducimur.

Quinta. Si benè Tobias dicit, filij sanctorum (idest fidelū) sumus, & vitam illam expectamus, quam Deus daturus est iis, qui fidem suā nunquā mutant ab eo, & tamen tūc tēporis fideles non ad cælum, sed ad limbum post mortē ibant; quanto magis nos mortē timere non debemus, cū aperta iam sit per Christū

cœli

eos, qui moriuntur. 43

cœli porta, i. beatitudo, quæ in Dei visione consistit? vnde potius sperāda est mors vt veræ vitæ initium, quàm timenda, vt huius vitæ terminus. non enim est Deus mortuorū, sed viuentiū, quoniam omnes viuunt ei dicit Christus. Ideo & Apost. si confurrexistis cum Christo, quæ sursum sunt querite, vbi Christus est in dextera Dei sedens, quæ sursum sunt sapite, non quæ super terram, & addit, mortui enim estis (scilicet in hac vita) & vita vestra abscondita est cū Christo in Deo: cū Christus apparuerit vita vestra, tunc & vos apparebitis cū ipso in gloria.

Sexta. Quādiu hic viuimus, militia est vita hominis super terrā, finis militiæ pax, & ita finis vitæ fidelū requies, sic in Apoc. dicitur de mortuis. beati mortui qui in Domino moriuntur, a modo enim dicit spiritus, vt requiescant à laboribus suis. & Sapiens, Iustus si morte præoccupatus fuerit, in refrigerio erit.

LIBENTER ergo charissime, iacta cogitatum tuum in Dominū, & admitte cum actione gratiarum mortem, quando cūq; à Deo immisa fuerit, licet enim sit necessariū, vt eam subeas, si tamen id reddes voluntarium, de necessitate virtutem

facien-

Mat. 22.
Col. 3.

Apoc. 14.

Sap. 4.

Heb. 13.

Esa. 35.

Tob. 2.



Methodus adiuuandi

faciendo, & vitam tuam offeres ad Dei beneplacitum, acceptabit eam Deus, vt sacrificium gratissimum, & ad insignem satisfactionem pro his peccatis, & meritum, & præmium tuum.

Nimius timor mortis reprimatur exëplis, & auctoritatib.
Mat. 26.

Secundus modus iuuandi timidus est per exempla & auctoritatem, vt **CHRISTI** Domini, qui cum naturalem voluntatem partis inferioris explicasset, dicendo transeat à me calix iste, voluntate superiore, quæ rationem sequitur, dixit veruntamen non mea, sed tua voluntas fiat. sic & tu charissime frater, licet sentias horrorem mortis, secundum affectum naturæ, conforma voluntatem superiorem, cum voluntate Dei, & accepta æquo animo quod illi placet, qui vitam hanc dedit, suo arbitrio finiendâ, & aliam meliorem vitam & perpetuam donare paratus est.

Psal. 119.

DAVID memor illius, quæ verè vita est, & præsentis miseras & pericula pertæsus, dicebat, heu mihi, quia incolatus meus prolongatus est, quasi longum illi videretur tempus exilij.

Phi. 1.

BEATVS Paulus dicebat, infœlix ego homo, quis me liberabit de corpore mortis huius? & ex de-

fide-

eos, qui moriuntur. 44

fiderio viuendi in terra viuentium, dicebat, cupio dissolui, & esse cum **CHRISTO**, & alibi mihi viuere **CHRISTVS** est, & mori lucrum. quod si viuere in carne hic, mihi fructus operis est, & quid eligam ignoro, coarctor autem è duobus, desiderium habens dissolui & esse cum Christo, multò magis melius, permanere autem in carcere, necessarium propter vos.

S. Prædixit rogauit Deum, vt se ab hac vita liberaret, ne tot mala videret, & exaudita est.

SAPIENS in Ecclesiâ dicit melior est mors, quàm vita amara. Idem poli metuere iudicium mortis, memento, quæ ante te fuerunt, & quæ superuentura sunt tibi. hoc iudicium à Domino, omni carni.

CVM Hilarion à latronibus stricis gladiis peteretur, sine metu quietus mansit, & cum minarentur illi, & interrogarent, quare mortem non timeret, respondit, non esse quòd mortem timeret, qui ad eam esset paratus.

S. Cyprianus in sermone de mortalitate, quis inquit, anxius est de egressu ab hac vita, nisi qui in fide dubius est, & spe vacuus? illius est mortem timere, qui non vult Chri-

Eccl. 30.

Eccl. 41.

sti



Mortis timor per orationes repellitur.

Methodus adiuuandi

si societatem. & eius est, talē recūfare societatem, qui non credit, quōd debeat regnare cum Christo.

Sed prorsus immemorabiles sunt, qui letissimo animo mortē subeunt, vt malorum culpæ & miseriarū finem, & vt scelicis vitæ, ad quā omnes aspirare debemus, initium.

Tertius modus est, per orationes iaculatorias: dicat ergo, qui iuuat morientes, aliquas breues orationes (& nitatur præeuntem sequi ægrotus) quales hæ sunt.

Domine Deus meus, naturalis quidem meus appetitus mortē exhorrescit, contentus sum tamen, si tibi sic placet, mortem subire, & hanc ipsam mortem, & eius afflictionem offero ad honorem & beneplacitum tuum, cum passione & morte Domini mei IESV CHRISTI, & in meorum peccatorum satisfactionem.

DEVS meus, tu de nihilo creasti me, & vsq; in hunc diem sustentasti; & rationis vsu dotaisti me, & per misericordiam tuam in fide Catholica, & in Sanctæ matris Ecclesiæ gremio, & vnitate conseruasti me, & per viam, quæ ducit ad æternæ scelicis finem deduxisti me. quid ergo retribuam tibi pro

om.

eos, qui moriuntur. 45

omnibus, quæ retribuisti mihi? domine calicē hunc mortis de manu tua libenter accepto, & offero illud tibi, & vt dignanter admittas in odorem suauitatis, deprecor.

DEVS meus, quamuis naturalis vitæ amor mortem recuset, cum fiducia tamen auxilii tui dicam cum Domino meo IESV CHRISTO, Pater mi, si non potest calix hic transire, nisi bibam illum, fiat voluntas tua. Dicam etiam cum Dauide, In pace in idipsum dormiam, & requiescam, quoniam tu Domine singulariter in spe constituisti me.

PATER misericordiarum, & Deus totius consolationis, gratias ago tibi, quod venit tandem hora, in qua peccata, & mala mea finem habebunt, & quod mihi tempus de disti, quo me preparem ad transitū ex hac vita ad perpetuā. Tu ergo, qui adiutor es in opportunitatibus in tribulatione, adiuua infirmitatē meam, vt in tuo seruitio, & gratia, quod superest vitæ meæ, finiam.

DICI etiam potest cum Iob, Scio quod Redemptor meus viuit, & in nouissimo die de terra surrecturus sum, & rursus circumdabor pelle mea, & in carne mea videbo

Deum,

Psalm 4.

Iob 19.



Methodus adiuuandi

Deum, quem visurus sum ego ipse. & c. adde alia id genus, si oportet, & hæc declarari magis, possent.

Quomodo procedendum cum eo, qui ex affectu ad terrena, vel alias ob causas, timet mortem plus, quam oportet.

Cap. X:

ALIIQVI dolent de morte, non tam ex vitæ desiderio, quam quòd res suæ conscientiaë implicatas habent, & tam breui tempore eas se posse explicare diffidunt. De his, si verè tempus non suppetit ad omnia, quæ fieri deberent, infra dicitur, quid agendum: quòd si non deest tempus, dummodo eo ægrotus diligenter vti velit, eum exhortari oportet, vt primo quoq; tempore id faciat, quod potest; & ratio & ordo ei proponi debet, vt, scilicet primo confiteatur & communicet, & petat extremam vñctionem (licet nò

statim

eos, qui moriuntur. 46

statim ei detur) deinde si quid statim restituere, vel facere debet & potest, curet fieri, & testamentum condat, in quo etiam testamento suppleat ea, quæ statim non possunt fieri, & demum se præparet ad transitum: & breue tempus sibi à Domino datum ad satisfactionem pro peccatis, & meritum beatitudinis, elabi de manibus, sine fructu, non sinat.

QUOD si dolet mori, quòd vitæ emendare, & multa bona facere, cum inuitus moritur, in animo constituerat, suadendum est ei, vt voluntatem suam cum diuina conformet, & omnium rerum loco, quas facere cupiebat, ad Dei honorem, & suam perfectionem, offerat Deo in sacrificium, vitam suam cum voluntate, eius beneplaciti in omnibus implendi, nihil enim Deo gratius, nec maius homines offerre possunt: & in eo, quod superest vitæ, nihil omittat eorum, quæ præstare potest, tam in eleesymonis, si facultatem habet, quam in deuota sacramentorum susceptione, testamenti conditione, & aliis, quæ superius dicta sunt, ad morientem bene disponendum esse opportuna.

Quid agendum, quia vitæ emendare quis vellet.

ALI-



Quid,
cūm do-
let ex af-
fectu ad
terrena.

Remouēā
tur à præ-
sentia mo-
rientis q̄
affectus
terrenos
nūtriuēt.

Methodus adiunandi

Aliqui timent mortē, et de eius im-
minentis aduentu dolēt, quia rebus
terrenis affectu magno adherēt, scilicet
dignitatibus, diuitiis, & volupta-
tibus, vel personis, quas relinquunt,
sibi charissimis, vt vxori, filiis, et ami-
cis, vel sanguine coniunctis. & maio-
rem habet occasionem is, qui tentat
ad tegendū amorem terrenum, dū
obtendit palliū pietatis, vt cūm par-
uulos liberos, vel filias non coloca-
tas, vel in paupertate constitutā fa-
miliā relinquit. & id tunc agit Dæ-
mon, vt dū affectibus, & curis inuti-
libus tempus impenditur, & animus
distrahitur, quæ ad salutem æternā
ipsius necessaria sunt, minus prouideat,
& exequatur. Qui ergo ad hu-
iusmodi homines iuādos vocatur,
et talem in egrotis affectū deprehē-
dit, vel aliorū relatu cognoscit, præ-
ter aliorū orationes, & elemosy-
nas, quas pro talibus curare debet (si
sint qui eas facere possint) quatuor
medijs ægrotos hos iuuabit.

Primò remouēdo ab egrotate que
possunt inordinatū hunc affectū nu-
trire, quoad eius fieri poterit, qualis
est aspectus personarū, quas huma-
no amore diligit, puta cōiugis, filio-
rū, & si quæ alia huiusmodi sunt. &
colloquia de illis, et absentibus (nisi

qua-

eos, qui moriuntur. 47

quatenus ad prospiciendū eis, mēto
illorū eēt necessaria) expedit vitari.

Secūdō, rationibus affectus hic est
temperādus. Prima est, quia is nō so-
lū affligit sine fructu, sed noxius ad-
modū est, cū impedit bonā præpa-
rationem ad mortē. Sic ergo dici
egrotāti potest, charissime N. hic a-
mor, imò & memoria huiusmodi re-
rū, vel personarū, nihil utilitatis vel
tibi, vel illis adfert, imò te affligit, &
impedit, ne te præpares ad bona ma-
iora, et veriora, q̄ quæ relinquis per-
cipienda: nā hæc imperfecta sunt, et
ad breue tēpus, illa, quæ præparauit
Deus diligentibus se, magna, & æter-
na. Proinde memoriam, ac affectum
harū rerum, vel personarū repelle,
& cogita de ijs, quæ ad æterna ma-
la effugienda, & æterna bona con-
sequenda te iuuare possunt.

Secunda, quod attinet ad perso-
nas, quæ deseri à te videntur, intelli-
ge, quòd si te (vt sperare debes, dū-
modo te benè præpares) diuina bo-
nitas ad beatitudinem adducet, ibi
plus auxilij tuis à Deo impetrabis,
quàm hic præsens adferre posses.

Tertia, intellige, quòd secundum
Apostolum spes non confundit, si
iusta, & conuenientia sperantur,
& in fide nihil hæsītādo petuntur,

spera

Rationes,
ad terre-
num affe-
ctum tem-
perandū.

Rom. 5.



Methodus adiuuandi

Io. 17.

spera ergo & pete ab infinita Dei bonitate, vt tuis, prout eis conuenit, tanquam tutor prospiciat, & iacta cogitatum tuum, tam de te, quam de tuis in Dominum, & ipse tuos enutriet, vt ipsis ad bonum æternum vtile est; & imitare **CHRISTVM**, qui imminente morte post cœnam suos discipulos Deo commendat. & tantum de salute tua æterna sis sollicitus.

1. Pet. 5.

Quarta, Scias, quòd tu non tã Pater es filiorum tuorum, quàm Deus, qui paternam de omnibus prouidentiam gerit, nec cadit pater super terram sine ipso, ne ergo existimes, quòd si eos tu relinquis, Deus eos relinquet, quia diligit Deus omnia, quæ fecit. Proiice ergo secundum consiliũ Apostoli, omnem sollicitudinem tuorum in Dominum, quoniam ipsi cura est de illis, & si in Deo speraueris, & omnino ei reliqueris curam hanc, multo magis tuos iuueris tali fiducia, quàm si de eis frustra sollicitus modo eris.

Quinta, Charissime, sarcina iter longum facientibus impedimentũ esse solet. Longa tibi iam via facienda est, vsq; ad Deum, ante cuius tribunal breui stabis, proinde

depo-

eos, qui moriuntur. 48

deponenda est omnis sarcina curarum superfluarum, & affectus terrenorum, qui tibi peccatorum multorum causa fuit, & si modo non eam relinquis, à Deo summo bono separare te possit in æternum. Expedi ergo cor tuum ab hoc inutili onere, vt eleuari possit affectus tuus ad æterna bona desideranda.

Sexta, Tam vitam tuam, quàm bona omnia huius mundi, non tua sed mutuo data fuisse à Deo intellege, vt illis, tanquam mediis, vt eris ad medium ipsum cognoscendum, & amandum, & ei seruiendũ. Si ergo Deus à te illa remouet, nullam tibi facit iniuriam, & si te hic disponis, vt ad vltimum finem, scilicet beatitudinem peruenias, nihil est quòd media ad illum consequendum donata, amplius desideres. potius quam diu viuas quicquid potest manus tua instanter operare, & de bonis tuis dispone quàm optimè, vt eorum fructu diteris in æternum.

Septima via, est exemplorum. Sic ergo dici potest, **CHRISTVS** Dominus in Cruce mortuus est, imitare tu libenter eius nuditatem, omnes affectus ad terrena exuèdo.

Exempla ad terrenos affectus mitigãdo

à Iob



Methodus adiuuandi

Iob 1.

à Iob Dominus Deus omnia abstulit, præter vxorem, quæ illum affligeret: at ille dixit, nudus egressus sum de utero matris meæ, nudus reuertar ad illam; Dominus dedit, Dominus abstulit, sicut Domino placuit, ita factum est; sit nomen Domini benedictum: sic & tu dicas, &c.

SANCTA Martha, tempore mortis iussit se sub dio, in terra, & super cinerem collocari, & iuxta crucem poni, & ex Evangelio passionem legi: hunc affectum, à terrenis animam abstrahendi, imitare.

SANCTVS Martinus Episcopus super cinere, dum moreretur, iacere voluit, & sic decere Christia nos aiebat: & cum dicerent eius filij spirituales, cur nos deseris Pater? &c. dixit ille, Domine, si adhuc populo tuo sum necessarius, non recuso laborem, scilicet vitam. Tu ergo Martinum imitare, potius coelestem, quàm terrenam vitam amando, vt vita sit tibi in patientia, (si Domino sic placuit, vt tuos adiuues) mors in desiderio.

SANCTVS Franciscus, vt moreretur nudus, in terram se constitui fecit.

SANCTVS Ludouicus Rex

Fran-

eos, qui moriuntur. 48

Franciæ idem fecit, & quidem su per cinerem, & sic extensis in modum crucis brachijs mortuus est.

QVARTA via est orationum, quas præeat, qui iuuat orientem, & ille sequatur. Dicat ergo, libera me Domine à tribulis, & spinis cogitationum, & affectuum terrenorum, quæ animam meam pungunt, & inquietant, & salutare cogitationes, & celestium desideria imprime cordi meo. Quàm dilecta tabernacula tua Domine virtutum; concupiscit, & deficit anima mea in atria Domini: elegi abiectus esse in domo tua Domine magis quàm habitare in tabernaculis peccatorum: quia melior est dies vna in atrijs tuis super millia, & quædam ex his, quæ supradicta sunt, vel alia de beatitudine hic dici possent, prout ægrotantis habitudo, & captus exigere videbitur, vt illud, Inebriabuntur ab vberitate domus tuæ, & torrente voluptatis tuæ potabis eos, quoniam apud te est fons vitæ, & in lumine tuo videbimus lumen.

EST tamen animaduertendum, quòd si aliquid potest fieri ab ægrotante ad prouidendum suis, per testamentum, vel alijs suis co-

Per orationes affectus terrenorum reprimuntur.

Psal. 83.

Psal. 35.

E men-



Methodus adiuuandi

mendando, vel aliter, id non est
omittendum.

Quid cum impatientibus agendum sit. Cap. XI.

ACCIDIT aliquando, vt
impatientes sint ægroti,
propter dolorem, vel
molestiam morbi, & præcipuè, si
propter paupertatem, vel aliam cau-
sam, delint remedia opportuna, vel
alia superueniant aduersa. Sunt
ergo in ea parte quatuor modis iu-
uandi. Primus est, compati ægro-
to ex animo, & præ se ferre com-
passionem; & si etiam posset, ope-
ri ipso curare, vt subleuetur: id e-
nim, præterquam quòd minuit im-
patientiam causam, cum faciat ab
ægroto cognosci charitatem iuuan-
tis, disponit eum, vt libentius au-
diat, & facilius acquiescat omni-
bus, quæ ab ipso proponuntur.

Compas-
sio offen-
denda in
affecti-
bus.

Rationes
contra im-
patientiam.

SECVNDVS modus est per
rationes. Prima est, quòd impa-
tientia non subleuat, sed potius au-
get malum ipsum, propter quod
habetur; & quidem tantò magis id

dolet,

eos, qui moriuntur. 49

dolet, quantò magis contra volun-
tatem suam quis patitur. Tollit præ-
tereà meritum patientiæ, quod est
maximum. Cur ergo non facit, qui
patitur, de necessitate virtutem, se-
cundum consilium Chrysofomi,
vt patiatum cum merito illud ip-
sum, quod nihilominus sine meri-
to passurus est? imò & minus pa-
tietur, quia dum voluntariè ample-
ctitur, imminuit malum suum. Tri-
bulatio enim fugientes acrius per-
sequitur, & affligit; sponte pro-
pter Deum eam suscipientes mul-
tò minus.

SECVNDÀ, quòd hæc mala
mittit ad ipsum Deum, qui Pater est
amantissimus, & medicus sapien-
tissimus, & mittit ad ipsius bonum;
vnde debet, vt medicinam ama-
ram, & tamen perutilem, de manu
ipsius, bono animo recipere, & gra-
tias agere. Vnde Salomon: Fili
mi, noli negligere disciplinam Do-
mini; nec fatigeris, dum ab illo ar-
gueris: quem enim diligit Domi-
nus, castigat: flagellat autem om-
nem filium, quem recipit. Quòd
si cum actione gratiarum flagellum
exceperit, erit illi ad maximi meri-
ti coronam.

Prou. 3.

TERTIA, quia cum Deus

E ij iustif-



Methodus adiuuandi

Iustissimus sit, non relinquit peccata sine punitione, vel in hoc mundo, vel in alio: est autem multò melius hic purgari peccata per tribulationem, vel afflictionem, quæ leuior, & breuior multò est, quàm in purgatorio. Vnius enim horæ dolor in hac vita, patienter, & voluntariè toleratus, velut lima quædam, rubiginem peccati magis tollit, quàm dies multi, & forsitan mentes, & anni, & quidem in acerbissimis tormentis in purgatorio. Dicatur ergo ægrotanti, & impatienti, vt cogitet, quòd in vita sua non parua peccata admisit, propter quæ, pœnam est commertus; vnde huius infirmitatis, & mortis (si Deo ita placuerit) afflictionem patienter tolerare debet, & Deum rogare, vt ea in remissionem peccatorum admittat, & purgatorij cruciatum in eam cõmutare dignetur. Quòd si fecerit voluntariam pœnam, alioqui necessariam, modo prædicto cum contrito corde, & in Deo confidente; & culpam, & pœnæ remissionem magnam obtinebit.

QVARTA, quia mittuntur huiusmodi afflictiones, vt ab

amore

eos, qui moriuntur. 50

amore rerum huius mundi, magis hominum affectus auellantur, & ad bona æterna conuertantur, & ideo Deus solet esse cum afflictis, & ad summa bona eos promouere. Vnde illud Psalmistæ: Cum ipso sum in tribulatione; eripiam eum, & glorificabo eum.

QVINTA, aliquando mittuntur afflictiones, vt virtus patientiæ, humilitatis, fidei, & spei probetur, & crescat cum ea meritum. Vnde Ecclesiasticus: Omne, quod tibi applicitum fuerit, accipe, & in dolore sustine, & in humilitate tua patientiam habes, quoniam in igne probatur aurum, & argentum: homines verò receptibiles, in camino humiliatiõnis. & vt in hymno quodam Ecclesia canit, illud (idest ad Cœlum) introducitur omnis, qui ob CHRISTI nomen, hic in mundo præmitur, tunctionibus, pressuris, expoliti lapides, suis coaptantur locis, per manus artificis, disponuntur permanfuri factis ædificijs. Bono ergo animo ferèda sunt, quæ nos expoliunt, vt cœlestis Hierusalem viuì lapides efficiamur.

TERTIVS modus est per exempla, vt Iob, Thobie, Ioseph, Dauid

E iij Virgi-

Psal. 90.

Ecl. 2.

Exempla
cõtra im-



patientia.

Orationis
via cōtra
impatien-
tiam.

Methodus adiuuandi

Virginis **MARIAE**, tot Martyrum, & super omnia exemplum **CHRISTI** crucifixi plurimum ad patientiam valet: & vt ei aliquo modo vicem reddamus, patienter hanc partem crucis, quæ nobis cōmunicatur à diuina prouidentia, subire nos decet.

QUARTVS modus est per viam orationis, quam præeunte eo, qui iuuat, dicat ægrotus, vel saltem corde, si non potest ore, dicentem sequatur, huiusmodi sunt, quæ subdantur, & alię similes.

DOMINE hic vre, hic seca, id est in hac vita, vt saltem in æternum parcas, vt ait Augustinus.

DOMINE Deus meus, qui quos diligis castigas, sim ego quæso, de numero filiorum, quos diligis in vitam æternam; quandoquidem sum ex illis, quos castigare dignaris.

DOMINE **IESV**, adiutor in opportunitatibus, in tribulatione; adis iam mihi in afflictione mea, & adiuua me, vel subleuando afflictionem, vel tibi grata sit, veram patientiam tribuendo, vt cedat illa in honorem tuum, & bonum meum.

GRATIAS ago tibi, Pater

aman-

eos, qui moriuntur. 51

amantissime, qui non minori misericordia castigas, quàm consolaris, propitius, quæso, mihi esto, & virtutem ad benè ferendum ea, quæ me vis ferre, tribue. Sic aliæ orationes fieri possunt.

Quid agendum cum his,
qui fidei tentationibus
molestius agitantur.

Cap. XII.

IN **IIIS**, quæ ad fidem pertinent, dupliciter homines indigere auxilio solent. Primo cum non explicitè credunt, quæ in tempore legis gratiæ explicitè credi oportet: & quid agendum cum talibus cap. primo dicitur. Se cundò, cum à Dæmone concutitur fides, quæ totius ædificij spiritualis, & rerum sperandarum est fundamentum, per varias tentationes, quibus ille in dubium adducere infirmum de tota fide, vel de aliquo eius articulo nititur. Si ergo molestæ sunt ægroti tentationes huiusmodi, admonendus est, vt nullo modo disputet, vel rationibus agat

Non di-
sputandū

E iij cum



Methodus adiuuandi

est cum
Dæmone.

Heb. 11.

Pfal. 12.

Esa. 38.

Luce. 17.

Vnica solutio contra omnia argumenta Dæmonis.

cum Dæmone, qui nihil aliud molitur, quàm in eo, quod videt esse, velut basim æternæ ipsius salutis, subuertere, quia sine fide impossibile est placere Deo, & dicat cum Psalmista; Domine, illumina oculos meos (scilicet lumine veræ fidei) ne vnquam obdormiam in morte, ne quando dicat inimicus meus, præualui aduersus eum; & cum Ezechia; Domine, vim patior, responde pro me; & cum Apostolis, Domine, adauge nobis fidem. Iuuat etiam aliquo ex supradictis modis cap. 5. dicere, Credo in Deum &c. sed imprimis iuuat vnicam solutionem omnibus argumentis Dæmonis dare, & ei quantumuis multa representanti dicere: Credo quidquid credit Sancta Mater Ecclesia Catholica, & Apostolica, cuius caput vnicum sub CHRISTO, est Pontifex Romanus. Illa est columna, & firmamentum veritatis; illa tibi, Sathan, pro me respondebit, disputa cum illa, si voles: mihi satis est, quòd credo quidquid illa credit, cuius fides non rationibus innitur, sed ipsi æternæ veritati. In hac arce fidei, vt inexpugnabili, tutus erit ab huiusmodi Dæmonis,

quan-

eos, qui moriuntur. 52

quantumuis importunis oppugnationibus, qui in agone mortis positus est: & ita curet intellectum ab ijs suggestionibus, quæ perturbant ipsam diuertere, & alia meliora cogitet, quæ ad spem, amorem, vel contritionem augendam pertinent, vel cum assistentibus loquatur de alijs rebus.

I V V A T, & protestationem sue fidei facere, dicendo symbolum, & postea addendo, protestor coram Deo, & vniuersa eius Curia Cœlesti; & nominatim coram Angelo meo custode, & coram vobis, quod in hac fide, secundum modum intelligendi Sanctæ Romanæ, & vniuersalis Ecclesiæ, & in vnione corporis eius, sub capite Domino nostro IESV CHRISTO, & eius in terris Vicario, viuere, & mori volo; & si per delirium aliquod verbum ab ore meo excideret, quod aliter sonaret, protestor, quòd illud non est meum, sed ad hoc tantum, quòd protestatus sum.

S I T A L I S videretur esse dispositio ægroti, qui de fide tentatur, non tamen in ipsa mortis agonia versatur, & sensibus integris est, vt ad eius consolationem, & stabilitatem aliquæ rationes fidei essent

Protestatio fidei.

Quando rationes habere locum possent, & quales.

E v addu-



Methodus adiuuandi

adducendæ, generales illæ sint, & non ad particulares esset descendendum; (nisi forte ipse diceret ali quid, quod ipsum mouet, & facile, & clarè confutari posset; & tunc etiam est admonendus, ne disputet cum Dæmone, nisi vt supra dictum est, obijciendo Ecclesiæ Catholicæ auctoritatem) & sic infirmo dici potest: Fides nostra charissime, quæ participatio quædam est diuinæ sapientiæ, & lumen infusum ab ipsa prima, & summa veritate, non innititur tam debili fundamento, quàm sunt rationes, quæ à perexiguo lumine naturali procedunt, nec propter rationes vllas credit, sed propter auctoritatem Dei, qui Ecclesiæ suæ omnes fidei articulos reuelauit.

Ab exemplis creditum.

SECURE credis ea, quæ tot sancti homines, & in virtutibus heroicis insignes, crediderunt, quales sunt Martyres CHRISTI, & Anacheretæ, & viri religiosi, qui vel vita sua ad id impensâ, veritatem hanc testati sunt, vel diurnam corporis sui mortificationem circumferentes, diuinamq; in terris vitam agentes, eidem testimonium perhibuerunt. Secure credis, quod tot sancti Doctores Ec-

clesiæ,

eos, qui moriuntur. 53

clesiæ, admirabili doctrina præditi, tot prudentissimi Pontifices, & Sacerdotes, verbo, & scripto, & factò docuerunt.

SECURE credis etiam, quod tot Concilia generalia, studio veritatis agnoscendæ, ex toto orbe congregata, quæ decipi nullo modo possunt, spiritu veritatis eis assistente, tradiderunt; quod tot millia fidelium, tot seculis, inter tam multas persecutiões, crediderunt, & ad nos transmiserunt, inter quos & nostri maiores, & patria ipsa fuit.

SECURE credis Patri æterno, qui testimoniũ perhibuit de CHRISTO, dicendo: Hic est Filius dilectus, ipsum audite: etiã Euangelica doctrina vbique prædicata est ab Apostolis, ipso Deo cooperante, & sermonem confirmante, sequentibus signis.

SECURE credis testimonio CHRISTI Domini, qui æterna patris sapientia est, & dixit: Ego & Pater vnum sumus; & articulos fidei prædicari iussit, addens: Qui crediderit, & baptizatus fuerit, saluus erit; qui non crediderit, condemnabitur.

ITEM Gabrieli Archangelo,

E vj dicen-

A testimonio Dei, Angelorum, & Sanctorum.

Io. 10.

Marc. 16.

Luce. 1.



Methodus adiuuandi

Luc. 2.

dicenti de **CHRISTO**, quòd Filius Altissimi vocabitur, & militiæ cœlestium spirituum, quæ cecinit in **CHRISTO**, natiuitate; Gloria in excelsis Deo; & Angelis, qui Resurrectionis eius, & Ascensionis, & Aduentus, quo venturus est in fine mundi ad omnes homines iudicandos, testes extiterunt.

TESTIMONIIS item Patriarcharum, & Prophetarum, ac scriptorum veteris testamenti, vsq; ad Ioannem, qui factis, & verbis, **CHRISTO** fidem, & mysteria præfigurauerunt, & prædixerunt. Item Apostolorum, ac Discipulorum Domini, & succedentium ipsis, qui scripta noui testamenti, & traditiones, per manus ad nos vsque nunquam interrupta successione, deduxerunt. Imò & aduersariorum testimonia idem testantur: dicebant enim impij Iudei, hic homo multa signa facit; si dimittimus eum sic, omnes credent in eum &c. Vnde Iosephus, & alij infideles benè sentiunt de **CHRISTO**, & de eius doctrina & dicunt, nos in ea salutem consequi, & præferunt nostram religionem omnibus, præterquam suæ, in quo

Io. 11.

non

eos, qui moriuntur. 54

non debet is credi.

S. E. C. V. R. E. credis, considerando tot miracula, quæ sunt supernaturalia quadam testimonia, quibus veritatem fidei nostræ testatam reliquit Deus. Fuerunt autem ea innumerabilia, vt ex Euangelis, & actibus Apostolorum, & historiis constat, sed & nostris temporibus ea etiam cernuntur, vt in terris infidelium, cum **DEVS** eos ad fidem adducere, & confirmare neophytos dignatur.

SUPERNATURALE etiam testimonium est veritatis fidei, constantia, & fortitudo, & sapientia Apostolorum, & Discipulorum, ac multorum, qui eis successerunt: qui cum essent pauci, rudes, ignobiles, sine eloquentia, vel potentia armorum, imò ferentes verbera, irrisiones, egestatem, & mortes acerbissimas, Romanum Imperium, & Regna, ac Prouincias sub iugum fidei miserunt. Quæ si per diuinam virtutem operabantur, clarum est signum veritatis fidei; si sine miraculis, hoc (vt Augustinus benè notat) maximum miraculum est, quòd tales homines indocti, & in facie

A miraculis.

contem-



Methodus adiuuandi

contemptibiles, tot sapientes, & magnos viros, ad res, quæ humanum intellectum longè superant, & quæ tam contraria sunt affectibus humanis, credendas, & sectandas adduxerint.

AD IDEM facit, vt scilicet securè credantur quæ CHRISTI fides docet, quòd eius lex summæ perfectionis est. Vt pote summè Deum honorans, quia altissimè, & pietissimè de eo sentit; summè hominem perficiens, quia ad altissimum finem, scilicet visionis Dei, peroptima mediâ virtutum, & totius sanctitatis externæ, & internæ eum deducit, & bonorum operum præmia, & malorum pœnam condignam declarat. Omnes etiam veritates moralium, & physicarum scientiarum, vt verum vero fidei consonet. Adde internas illustrationes, & consolationes eorum, qui fidei mysteria contemplantur, & tamen veritatis proprium est, animam intelligentem reficere.

Modus credendi, conueniens erat magis, quàm sciendi.

Modus etiam percipiendæ veritatis, propter dicentis auctoritatem, non propter rationes credendo, conuenientissimus est; tam quia terre paucorum intellectuum erat, cum ingena rara scientiarum sint capa-

—m—

cia,

eos, qui moriuntur. 55

cia, tum quòd is modus est ad maiorem Dei gloriam, cuius verbo simpliciter reuelato, & per ecclesiam proposito credunt fideles, etiam in iis, quæ non sunt supra rationem; tum quòd ad maiorem certitudinem credendorum id facit, quia falli poterant homines suis sensibus, quorum experimentis scientiæ innituntur, sed non possunt falli, ab ipsa veritate per iumen fidei edocti.

Ex his ergo constat, quòd credere securè possumus, & debemus, quæcunque Sancta Ecclesia nobis credenda proponit. Quamuis enim credamus, propter auctoritatem Dei reuelantis, (vt dictum est) euidentis tamen fit ex his, esse secundum rationem quod credere debeamus. Et hæc de fide sine dicta, ex quibus quam partem dicere oporteat, cum ægrotus de fide tentatur, discretionis eius, qui iuuat ipsum, relinquendum est.



Quomodo



Methodus adiuuandi

Quomodo iuuādi sint, qui
diffidentiae, aut despe-
rationis difficul-
tate labo-
rant.

Cap. XIII.

Cause
diffiden-
tiae exami-
nentur.

VT DEIECTI in spem
erigantur, imprimis vi-
deatur, an verè aliquid
sit, quod meritò ægrotum, prout
tunc dispositus est, ad diffidentiam
moueat. Tale quid esset affectus ad
peccatum, quem nollet relinque-
re, puta odij, inimicitiae, vsuræ,
voluntatis non restituendi aliena,
vel quid huiusmodi, de quibus in-
ferius agetur Cap. 17. aut pecca-
ta aliqua in confessionibus omissa,
aut non benè explicata; & tunc
impedimentum illud remouendum
est per bonam confessionem; &
causa diffidentiae sublata, ipsa quo-
que diffidentia tollitur.

SI NON ERIT causa iusta,
propter quam diffidat, sed ex na-
turæ pusillanimitate, vel memoria
peccatorum præteritorum, vel ten-
tationibus Dæmonis orta diffiden-
tia, & seruilis timor videbitur, a-

nima-

eos, qui moriuntur. 56

nimari debet multis modis. Pri-
mò, ex parte Dei offensi, cuius
proprium est misereri semper, &
parcere, dicendo hæc, vel simili-
a; charissimè, bono animo esse
te oportet, cum negotium habeas
cum Patre, qui quamuis offensus
est à te, Pater tamen est, & qui-
dem (vt Sacra Scriptura nos do-
cet) Pater misericordiarum, cuius
miserationum non est numerus,
cuius misericordia super omnia o-
pera eius, misericors, & patiens,
longanimis, & multum misericors,
& præstabilis super malitia. & te
tantopere dilexit, vt Filio mortem
impenderet, quò te à peccatis re-
dimeret; cuius tanta est propen-
sio ad ignoscendum, vt proponen-
ti confiteri peccata, quali præue-
niens dimittat, iuxta illud Psal-
mistæ: Dixi confitebor aduersum
me iniustitiam meam Domino, &
tu remisisti impietate peccati mei:
qui proprio Filio non pepercit, sed
pro nobis omnibus tradidit illum;
quomodo non etiam cum illo om-
nia nobis donauit?

SE C V N D Ò, ex parte me-
diatoris ipsius **C**H R I S T I D o-
mini nostri. Verum est, quòd
multum, & grauitè peccauimus,

sed

Pusillani-
mes ani-
mandi ex
parte dei.

2. Cor. 1.

Psal. 31.

Rom. 8.



Esa. 53.

Methodus adiuuandi

sed posuit Deus in CHRISTO iniquitatem omnium nostrum, disciplina pacis nostræ super eum, & liuore eius sanati sumus. Fuit enim tanta erga nos pietas, & bonitas Dei nostri, vt cum non possemus nos pro nostris peccatis satisfacere, dederit uobis satisfactorem Filium suum: eius humilitas sanat nostram superbiam eius dolores nostras voluptates, eius mansuetudo nostras iracundias, eius charitas nostra odia, & damna proximis illata; demum eius obedientia vsque ad mortem, omnia nostra peccata delet; & minima ex illius passionibus, sufficeret ad satisfaciendum pro omnibus peccatis, cum sit infinitæ dignitatis persona satisfaciens. Vnde ex iusticia potes petere remissionem peccatorum, & Regnum Dei, ex iustitia, inquam, CHRISTI, cum tibi eam applicare ipse dignabitur; qui superabundans prætium sui sanguinis pro te sudat.

NOTA etiam, quòd ille futurus est iudex tuus, qui est aduocatus, & sedens ad dexteram Patris offendit Patri eterno cicatrices uulnerum, quæ pro tua salute passus est. Dic ergo confidenter: Do-

mine

eos, qui moriuntur. 57

mine IESU, pone crucem tuam inter iudicium tuum, & animam meam, & saluus ero. Vide, quam voluntatem habeat mansuetissimus agnus te condemnandi, qui Malci, cum veniret ad ipsum capiendum, auriculam, à Petro abscissam, sanauit: qui cum idem Petrus ter ipsum negasset, respexit illum tam amanter, & mouit ad penitentiam, & postea caput etiam Ecclesiæ eum constituit: qui inter doleres Crucis extremos, primum id verbum profert; Pater ignosce illis, quia nesciunt quid faciunt; qui latroni in Cruce petenti, vt sui memor esset, ait, Amen dico tibi, hodie mecum eris in Paradiso. Scias demum, quòd magis ipse Dominus desiderat te saluū facere, quàm tu ipse desideras: quis ergo locus est diffidentie?

TERTIÒ ab exemplis, hoc modo: Si homines serui Dei tam facile dimiserunt offensas sibi factas, vt Ioseph suis fratribus dimisit, vt Dauid, Saul, & Nabal, vt Sanctus Stephanus ijs, qui ipsum lapidabant, pro eis orando, & alij plurimi Sancti, propter aliquam participationem diuinæ bonitatis, quid putare debemus de illo fonte, in dō

Ab exemplis hominum, qui offensas condonant.

mari



Methodus adiuuandi

mari immenso, bonitatis, & misericordiae infinitae? quanto erit ei facilius, & magis congruum misereri, & parcere, praesertim cum hoc sit certum, quod quanto maiora fuerunt tua peccata, tanto cedit ad maiorem Dei gloriam, si illa tibi poenitenti dimittat? Vt enim ille Dux maiorem honorem consequitur, quod munitiora castella, & vrbes expugnat, & hostes, validiores superat; sic CHRISTVS maiorem consequitur honorem, cum vitia, & peccata plura, & maiora, ad cor redeuntium, pretio sui sanguinis delet. Maioris etiam est magnificentiae, grandia debita, quam exigua, supplicibus dimittere. Ne ergo terreat te magnitudo, aut numerus peccatorum, de quibus tibi displicet: sicut enim vno istu Dauid in figura CHRISTI prostravit Goliath, & in fugam vertit Philistaeos; sic vna Crucis suae applicatione, CHRISTVS Daemonem cum omnibus peccatis tuis (si in ipso co-fidas) prosternet; etiam si essent super arenam maris, & grauiora, quam vnquam in mundo sint perpetrata. Haec non continua oratione, sed interrupta (vt primo cap. admonuimus) & paulatim dici de-

bent.

1. Reg. 17

eos, qui moriuntur. 58

bent. Potest & narrari historia populi Israelitici, cum hinc Pharaon praemeret, inde mare effugium impediret, quod virga percussum mare, ipsis iter securum praebuit, & Pharaonem cum exercitu submersit: sic si voluntatis suae virga, qua detestetur peccata, & ad Dominum conuertatur, mare peccatorum vitae suae antea factae percusserit, evanescent peccata. Sic potest adduci ex nouo testamento exemplum Filii prodigi, Magdalenae, Samaritanae, Chananae, praeter illud Petri, & Latronis, quod tetigimus; & in veteri, Dauid, Manasse, & populi Israelitici, quem post tot offensas ad terram promissionis, in figuram beatitudinis, perduxit.

QUARTO, ex parte promissionis Dei, dici potest, non dubites de venia, & eas tibi ego proferam, digito Spiritus sancti scriptas, per Prophetam Ezechielem: In quacunque hora ingemuerit peccator, omnium iniquitatum eius non recordabor. Fidelis est Deus, negare seipsum non potest. Habes & manu CHRISTI simile chirographum promissionis apud Euangelistam Matthaeum: Si enim dimiseritis hominibus peccata eorum,

dimit-

Ex parte
promissionis
Dei.

Ezech. 18

Matt. 6.



Methodus adiuuandi

Luc. 6.

Ex multitudine ad uocatorum.

Ex bene actis.

dimittet & uobis Pater uester cœlestis delicta uestra. Sic apud Lucam, Dimittite, & dimittimini. Vides ergo frater, quòd si offensas tibi factas ex corde dimittis, dimittet & tibi Deus peccata tua?

QVINTÒ, ex multitudine ad uocatorum, de qua Cap. 6. superius, scilicet Angelorum, & Sanctorum in Ecclesia triumphante, & in militante, ex operibus omnium piorum hominum, quorum sumus participes, tot Missis, & orationibus fidelium. dicendum etiam, si quid in particulari sit pro eo.

SEXTO, ex bonis, quæ agit ipse ægrotus, procedi potest, & ex voluntate, quam ostendit consequendi veniam, & ex diligentia, quam adhibet ad eam obtinendam, quam non adhibuisset, sine præueniente gratia Dei. Signum est ergo, quòd ipsi velit Deus ignoscere, cum det gratiam quærendi veniam. Si etiam Dæmon sollicitus est de ipso tentando, signum est, quòd de præda dubitat; & quando ad peccatum desperationis ille nititur adducere, signum est, quòd in eo sit statu, ut mereri etiam possit vitam æternam; & iniuriam faceret iudici: CHRISTO, qui sententiam;

quam

eos, qui moriuntur. 59

quam ipse laturus est, præriperet, damnatum iam aliquem pronuncians, dum uiuit. Non enim usque ad mortem sententia fertur, & ad illum usque terminum merendi status durat. Quare bene sperans, quæcunque passus est in hac ægritudine, & in tota vita, simul cum passione CHRISTI offerat Deo, & magnam habebunt vim satisfaciendi, maxime accedente præparatione ad mortem subeundam, in remissionem peccatorum de manu Dei.

SEPTIMO, per modum orationis adiuuari potest, hoc modo; Eia ergo frater, sub vexillo spei, de misericordia, & veritate promissionis Dei, de meritis CHRISTI, de intercessione Matris eius, & omnium Angelorum, & Sanctorum, bono animo pugna contra omnes aduersarios: reportabis enim, cum Dei auxilio, victoriam, etiam cum spoliis meriti maioris. Dicas ergo mecum, Pater noster, qui es in cœlis, miserere filii tui, mali, & ingrati, sed tamen filii, quæ adoptasti per IESVM CHRISTVM verum, & consubstantialem Filium tuum: dimitte nobis debita nostra, sicut & nos dimittimus debitoribus

nostris.

Orationes ad erigendos pusillanimes in morte.



Methodus adiuuandi

nostris. Dicas & illud: In te domine speravi, non confundar in æternum. Et illud cum filio prodigos; Peccaui in cœlum, & coram te, sed maior est tua bonitas, quàm malitia mea. Dicas cum Beato Anselmo; Domine, si puritatem meam ademi, nunquid misericordiam tuam peremi? Si commisi vnde me damnare posses, tu non amisisti, vnde saluare soles; propter temetipsum miserere mei. Pœnitet me, quòd tã ingratus fui beneficiis tuis, quibus me affecisti; sed propter IESV CHRISTI Domini nostri obedientiam, & charitatem, & præciosissimam mortem ipsius, pro me tibi oblatam, dele iniquitatem meam. Dicas & illud Iob; Etiam si occiderit me, sperabo in eo. Et cum Psalmista dic animæ tuæ; Spera in Deo, quoniam adhuc confitebor illi salutare vultus mei, & Deus meus. Hæc dilatarı magis, & minus poterunt, pro vt discretio distabit, & simul plura, vel diuisim dici. Dicat & illud Psalmistæ; Non intres in iudicium cum seruo tuo Domine; malè enim mecum agitur, si secundum delicta mea iudicabor; misericordiam imploro, ad misericordiam tuam confugio, non

secun-

eos, qui moriuntur. 60

secundum peccata nostra facias nobis, neq; secundum iniquitates nostras retribuas nobis.

VERBAT ETIAM se aliquando ad Dominum IESVM CHRISTVM; cuius crucifixi imago ei ostendi potest, dicens Domine IESV, qui sanguinem tuum pro me effudisti, miserere mei. Domine IESV, qui inter tot dolores & ignomias, vitam tuam pro salute mea dedisti, miserere mei, quia peccaui nimis in vita mea. In manus tuas Domine commendo spiritum meum &c. Ex iis autem, quæ 6. cap. de spe erigenda, & exercenda dicta sunt, alia si opus erit desumi etiam poterunt.

Quomodo iuuandi sint qui contrariis malis tenentur præsumptionis & nimis cõfidentia. Cap. XIII.

QVI excedunt in spe & ad præsumptionem declinât, frenâdi & dirigendi sunt. si enim sibi placere videntur, & offerri, recordatione bonorum

F ope-



Methodus adiuuandi

Pfal. 40.

operum, quæ egerunt; iuxta illud, Beatus, qui intelligit super egenum, & pauperem, in die mala liberabit eum Dominus, & ita sibi deberi cælestem beatitudinem elato animo sentire videntur, admonendi sunt, quod non ex operibus iustitiæ, quæ fecimus nos, sed secundum misericordiam suam saluos nos fecit, vt ex Apostolo docemur, & in Dei bonitate, & CHRIS-

Tit. 3.

Vbi spei anchora figenda.

T I meritum præcipue figenda est anchora spei, qui etiam dedit gratiam ad bene operandum. Item quod quantum in nobis est, vniuersæ iustitiæ nostræ sunt velut pannus menstruatus, sed ex gratia Dei valorem habent, omnes bonæ actiones, & ex proprijs Deo soli honor, & gloria debetur, nobis autem confusio, propter peccata nostra, quæ proprie nostra sunt. Nam quod attingit ad bona, non sumus sufficientes cogitare aliquid à nobis, tantquam ex nobis, sed sufficientia nostra ex Deo est, & debemus Deo gratias agere etiam, quod eius gratiæ cooperati simus, & aliquid cum ea boni egerimus: imperfectiones verò nostras, vt proprias debemus agnoscere, propter quas sæpe vinum nostrum, iuxta Prophetam,

Bona, quæ agimus, Deo accepta ferenda.

Esaïæ 1.

mixtum

eos, qui moriuntur. 61

mixtum est aqua, scilicet vinum intentionis placendi Deo, mixtum est aqua vanæ gloriæ, vel negligentia, propter quam imperfecte egimus, & sæpe omisimus, quæ facere debuimus. Vnde vè nobis, si de bonis nostris, in quantum nostra sunt, sine misericordia iudicabimur. Adde, quod in Euangelio dicitur, Cùm feceritis omnia, dicitur serui inutiles sumus; quod debuimus facere; fecimus: imò tantum debemus diuinæ in nos charitati, & beneficentiæ, vt nunquam quod ei debemus, præstare possimus: imò in immensum ab eo deficiamus.

SI EXCEDIT in spe, quia tota cogitatio ægroti videtur ferri ad considerationem misericordiæ Dei, & meritum CHRISTI, nec videtur de peccatis suis compunctus esse; dirigendus est, & admonendus, vt ita confidat in Dei misericordia, & CHRISTI meritis (quod laudandum est) vt interim doleat de peccatis suis, & considerando, quod tantam maiestatem, & bonitatem ingratus offenderit; humiliter & amanter sibi condonari supplicet, & ad actus contritionis, vt 2. cap. & alibi di-

Luc. 17.

Ad contritionem sunt mouendi.

F ij citur



Methodus adiuvandi

citur, est adiuvandus, utrovis modo in spe excedere videatur.

Quid agendum, cum accedit quis ad morientem, qui parum iam mente valet. Cap. XV.

CUM IS, qui accedit ad iuvandum aliquem, qui morti vicinus creditur, inuenit eum parum mentis competentem ad intelligenda quæ dicuntur, interroget (si nescit) eum, qui vocauit, vel assistentes ei, an sacramenta sumpserit, & de rebus suis disposuerit, si omnia, quæ oportebat, iam fecit, quæ in re caute dicuntur fieri possunt. Quod si constiterit ipsum nihil tale fecisse, (ut accidit iis, qui nimis expectant, vel qui aliquo morbo opprimuntur, qui statim mentem eripit, vel obfuscant) præterea quæ sine ipso fieri posse dicuntur cap. 19. prædicto (quæ peculiari ratione commendari debent assistentibus, vel amicis in tali statu morientis) appel-

Appellan

let

eos, qui moriuntur. 62

let variis modis ægrotum, & si oportebit voce elata, ut excitet eum, & si euigilabit aliquo modo, vel ut cunque signum dabit, quod intelligat ea, quæ dicuntur, semotis arbitris, dicat qui iuuat, hæc vel similia verba. aduerte frater charissime, quod imminet tibi admodum vicina mors, oportet ut excites te, & conscientiam tuam à peccatis expurges: agitur enim de æterna tua salute vel damnatione. & addat, Vis ne confiteri peccata tua, & accipere reliqua sacramenta, ut omnis fidelis Christianus debet? & hortetur ad id, si annuit, nec tamen loqui potest, dicat qui iuuat, per nutus mihi responde (si non potes per verba) an feceris quæ interrogo. & proponat ei exclusis circumstantibus, ut dictum est, aliqua peccata, quæ verisimile est in ipso locum habuisse, & si annuit se admisisse, eum absoluat. si tempus id patitur & vsus rationis. interroget aliqua alia maioris momenti, & si uenitibus significet se admisisse, siue non, petat an habeat aliquid alienum, quod debeat, & si annuit, petat an velit, ut hæredes tui examinent, & soluant quod debet; si annuit, vocentur hæredes, vel alii

duis ægrotus variè, ut excitetur.

Mors imminens significetur, & confessio eliciatur salutem nutibus.

F iij quis



Methodus adiuuandi

quis eorum, vel saltem testes, vt hoc illis committatur, dicente eo, qui iuuat, committis tuis heredibus, vt examinent, si quid debes, & primo quoque tempore soluant, si quid alienum inuenerint te habere? & illo annuente, denuò extramittantur, & hortando morientem ad dolendum de peccatis, vt oportet, (sic enim facit quod in se est, cum loqui non valeat) absolutionem det illi, tam à peccatis, quam à censuris. Si recuperata, vel non amissa voce dixerit se velle confiteri, & sacramenta reliqua suscipere, hortetur Sacerdos, vt dicat sua peccata, incipiendo ab eis, quæ magis eius conscientiam premunt: & si non bene à se ipso confiteri poterit, interroget ipse, incipiendo ab ijs, quæ maioris sunt momenti, & in illo locum posse habere probabile est, & quàm breuiter poterit se expediens, (præsertim si deficere hominem obseruat) & ad contritionem habendam de offensis Dei, charitate informatam, & non tantum ob timorem seruilem, & ad dolendum, quod non magis ex animo doleat, ferio hortando, absolutionem ei impendat: & si potest accipere via-

ticum

eos, qui moriuntur. 63

ticum sanctissimæ Eucharistiæ, à Parocho adferri curet, & post illud extremam vñtionem: si non videbitur posse deglutire sacramentum, vel timetur, quod euomet, illud adoret, & extremam vñtionem sumat; & si ad restitutionem aliquam teneretur, vel statim eam faciat, si potest, vt superius dictum est, vel committat alicui, vt ipsius loco, quàm primum fieri possit, eam faciat; idem si elemosynas posset facere, committat, vt fiant; & si non fecit testamentum, nec videtur habere iudicium tam clarum, vt illud facere possit, ita vt sit testamentum, non deliramentum, videat qui iuuat & tractet (si potest securè id facere) cum aliquo ex coniunctis morienti, an sit melius, vt ab intestato bona veniant ad eos, ad quos ventura sunt, an vt testamentum breuissimum ægrotus faciat, deputando aliquos, quibus confidere possit, vt ipsi in particulari faciant, quæ facienda esse in Domino videbuntur. Quòd si antequàm vsum sermonis, & mentis amitteret, petijt sacramenta, ac verbis, vel signis (vt puta manus eleuando, vel pectus tundendo) post amissum vocis v-

F iij sum,

De testamento talium.

De sacramentis conferendis.



Methodus adiuuandi

sum, contritionem ostendit, licet magnus fuerit peccator, præsumitur contritus, & potest ei dari Eucharistia si speratur, quòd eam deglutiet, ac retinebit) & extrema vnctio, & absolutio à censuris, sicut etiam à peccatis, si vel vnum confessus est verbo, vel nutibus. si tamen publicus vsurarius fuisset, non debet recipi ad confessionem, vel alia sacramenta (licet contritionem ostendat) antequàm ipse, vel hæredes eius restituant vsuras, vel promittant, vel dent cautionem, prout iura disponunt. Quòd si iudicium non erit sufficiens ad contritionem habendam, nec eam prius ostendit vt pareratur, petatur an aliquod interuallum lucidum habere soleat, vel speretur à medico, quòd sit illud habiturus, (vt possit fieri cessante febris vigore) & tunc redeat qui iuuat, ad subueniendum ægroto, vt supra dicitur, vel inde non recedat, donec admittatur in meliorem statum morientem reducere, quoad eius fieri poterit. & interim quæ ab aliis, sine ipso, fieri posse diximus, diligenter curet, vt fiant.

De Communione,

SI CONFESSVS iam fuisset, qui sic dispositus inuenitur, & ta-

men

eos, qui moriuntur. 64

men non sumpsisset Eucharistia sacramentum, curetur vt ei adferatur tunc, vel cum interuallo aliquo habuerit meliorem vsum mentis; quâuis tamen non habeat meliorem, potest ei viaticum conferri, si (vt dictum est) non timetur vomitus, vel reiectio sancti Sacramenti, vel quòd illud deglutire non valeat. & si dixit, cum esset compos mentis, quòd extremam vnctionem volebat, vel in genere, quòd omnia Sacramenta vel quicquid conueniebat, sibi dari postulabat, vel contritionem saltem ostendit, & voluntatem faciendi, quod vt fidelis Christianus facere debebat, suo tempore adferatur ei extrema vnctio, licet iam non vtatur recto mentis iudicio, & ei detur: quocunque autem tempore, capax videbitur, saltem ad intelligendum, licet non possit loqui, excitandus est ad contritionem, vt dicat ore & corde, vel saltem corde: Miserere mei Deus, secundum magnam misericordiam tuam: vel illud, non intres in iudicium cum seruo tuo Domine: vel Parce mihi Domine, quia peccavi nimis in vita mea: vel alia ex eis, quæ cum ageretur de con-

& extrema vnctione.

De excitatione ad contritionem.

F v tri-



Methodus adiunandi

tritione, superius dicta sunt. Licet autem sit iam confessus, si usum adhuc habet aliquem rationis, & vocis quamvis exiguum, petatur ab eo semotis etiam arbitris, an aliquid habeat, quod conscientiam grauet, cuius non meminisset, dum confiteretur, vel in quo non est quietus eius animus, ut superius cap. 8. dictum est. & si sit aliquid, quod expediat confiteri, poterit eum reconciliare, si est restitutio, vel quid aliud faciendum, curet ut fiat, quemadmodum superius dictum est. Sugerat etiam ei, ut protestetur, se velle viuere, & mori in fide catholica, & vnione Sanctæ Matris Ecclesiæ Romanæ, quòdque sperat in misericordia Dei, quòd per I E S V C H R I S T I passionem, ac mortem, sibi sua condonabit peccata, & ad vitam æternam perducet. & verbis præire poterit ipse qui iuuat, ut alibi diximus; sed hic concise, & breuiter magis, & sequatur eum egrotus ore, vel saltè corde. Quod attinet ad ea, quæ ad charitatem mouent, si capax erit, aliqua dicantur ex ijs, quæ cap. 7. sunt dicta; & sic de alijs, quæ cum benè dispositis diximus posse obseruari, semper habita ratione personæ, & v-

sus

cos, qui moriuntur. 65

fus rationis, & linguæ, quam habet, sed imprimis ut in corde, & ore habeat nomen I E S V, & ei se commendet, & Beatissimæ ipsius Matris, & Angelis, ac Sanctis. deinde ad ea se conuertet, quæ sine ipso ægroto fieri possunt, de quibus capite 19. Illud autem est obseruandum, cum moriens iam nullum videatur habere usum rationis, & illa exercentur, quæ diximus sine ipso posse fieri, ut interim confiteretur, an aliquod interuallum habeat, qui in extremis laborat, ut aliquid boni possit ei suggeri, & tunc nulla occasio, licet exigua, omitti debet, quin ei, quæ maximè sunt necessaria, suggerantur; & imprimis, ne sine absolutione decedat, si vel vnicum peccatum verbo, aut nutibus potuit confiteri.



F vj

Quid



Methodus adiuuandi

Quid agendum, cum ægrotus vsus habet rationis, & sermonis, sed est breue tempus ei reliquum.
Cap. XVI.

ACCIDIT aliquando, vt ægrotus iudicio quidem, & sensibus, ac voluntate sit bene dispositus, vt iuari possit, sed tempore destituitur, vt contingere possit, cum quis vulneratus est lætaliter, vel vt cumque, cum timetur, ne mors, vel delirium breui succedat; tunc euocatus aliquis, vt moriturum iuuet, si intelligit, quod non est confessus, imprimis semotis arbitris, eum hortetur, vt dolorem de offensis Dei habeat, & confiteatur sua peccata, ab eis incipiendo, quæ magis eius conscientiam grauant. & postquam dixerit, quæ recordatur, si videntur aliqua necessaria esse interroganda, statim & expeditè interroget, & tantum de iis, quæ mortalia esse posse videntur. et si ipse nihil ex se diceret, sed interrogari vellet, confessarius inter-

roget

eos, qui moriuntur. 66

roget, ad eundem modum, incipiendo ab eis, quæ secundum statum ægrotantis, vel cognitionem, quam de ipso habet, in eo probabiliter locum habent. & si non videret contritionem sufficientem, hortetur ad eam procurandam, & iuuet ad id ipsum, breuiter exaggerando peccata, & ingratitude peccantis erga Deum, sic amantem, & beneficientem, curando, vt dolor sit non tantum propter pœnam, quam metuit, sed magis propter offensam tanti Patris, & de se tam bene meriti, vt non sit cum diffidentia coniuncta, sed cum spe, in misericordia infinita, & bonitate Dei, & in meritis passionis, & mortis **I E S V C H R I S T I** constituta. & breuissimè, quoad eius fieri potest, hæc transigens, absolutionem impendet: licet post absolutionem (si tempus suppetet) alia etiam ex dictis alibi possunt adduci, ad maiorem contritionem, spem, & dilectionem Dei in ipso ægrotante excitandam conferentia.

I N T E R I M dum confessionem audit, præmonitos oportet alios, vt sanctissimum Sacramentum Eucharistiæ, & extremæ v-

tionis,

De confessione.

De comunione & extrema vn-



Methodus adiuuandi

tionis, præstò habeant, & ex parochia adferri curent, nisi facultatem haberet ægrotus, à quo vellet; ea sacramenta accipiendi; & disponat breuiter ægrotum ad communionem, & ad petendam extremam vnctionem, imò & accipiendam, primo quoque tempore, vt maiore cum deuotione, compos mentis eam accipiat.

De restitutione,
& pacificatione.

Si deprehenderet in confessione, aliquam restitutionem esse faciendam rei, vel honoris, & constat de quantitate, & personis, quibus debet fieri, & adest facultas statim restituendi, dum parantur alia sacramenta, curet, vt statim fiat, vel ordinetur (si res id patitur) alicui, vt faciat eam, vt puta ceconomo, vel amico, cui confidere possit. Idem si venia inimicis, vel eis, qui eum offendissent esset danda, & hoc coram Notario, & testibus, vel si non suppetit tempus vocandi Notarium, saltem coram testibus (si inimicitia, vel offensio esset publica, vt superius diximus) fiat. Si non potest statim restitutio fieri, quia non constat de quantitatibus rerum, vel de personis, vel quia non est ad manum pecunia, vel id quod debet restitui,

præter

eos, qui moriuntur. 67

præter promissionem ægroti, curet, vt idoneo alicui inungat, vt de suis debitis inquirat diligenter (& dicat ægrotus, si quid meminit) & soluat statim, vel cum primum fieri possit; quòd si res, vel tempus aliud non patitur, in testamento (quòd si vita durat faciendum est) vel saltem coram testibus, aut quocunque modo, ac via commodè poterit, grauet hæreditatem suam hoc onere restituendi, vel soluendi quod debet: ita vt nihil executorum, vel hæredes prius quàm hoc exequi curent. Si breuissimè hæc fieri non possent, dummodo videatur prompta voluntas ægroti ad ea facienda, non impedit, nec ab absolutione, nec à communione, nec ab extrema vnctione, sed qui iuuat, non deserat eum, donec quoad eius fieri possit, suæ conscientie in prædictis satisfaciatur: si non habet facultatem soluendi debita, proponat moriens, quòd si Deus vitam daret, quocunque posset, ea solueret, nec putet ea tunc salutem æternam ipsius impeditura, quia Deus omnium Dominus est; tantum vt de suis peccatis, super omnia dolere nitatur, & in CHRISTI meritis, & miseri-

Quid,
cum non
potest restituere.

cordia



Methodus adiuuandi

Moriens
petat suf-
fragia pio-
rum loco-
rum,

Ordo re-
rum cum
talibus a-
gendarū.

Quo in
casu qui-
uis potest
absolue-
re.

cordia Dei anchoram spei figat.

Si fieri poterit, mittat ad loca pia, & petat orationes & Missarum sacrificia, vt dignetur Dominus dare tempus ad ea, quæ animæ salutis sunt necessaria, ante mortem conficienda, & ad eadem, & ad alios pauperes mittat eleemosynas, si facultas suppetat, & quidem liberaliter. & si ipse non id faceret, amici deberent facere pro eo, vt & reliqua, quæ sine ipso transigi possunt.

Si rebus necessariis peractis, ad alia suppetet tempus, sient ex dictis in cap. 5. 6. & 7. quæ poterunt, sed præcedant omninò quæ sunt magis necessaria. memor sit autem qui confessionem audit eius, qui in articulo mortis est (idest de quo probabiliter creditur, quòd morietur, vel de eius morte multum dubitatur à medicis, vel aliis prudentibus) quòd quiuis Sacerdos catholicus potest absolue- re illum ab omnibus peccatis, etiam Sede Apostolica, & in Bulla Cœnæ reseruatæ, & consequentibus censuris, & c. si tamen peccatum annexam habet excommunicationem, à qua non possit extra hunc casum ipse confessarius eum absolue-

debet

eos, qui moriuntur. 68

debet iniungere morienti, vt si conualuerit, ad Superiorem pro remedio confugiat. quæ intelligantur, si non posset moriens præsentiam habere Superioris, qui facultatem talem habeat: nam tunc esset ille vocandus (si non est periculum in mora) pro casu illo reseruato.

De ijs, quæ agenda sunt cū ijs, qui intellectu quidem valent, sed voluntas illis egra est, vt id faciant quod facere est necesse.
Cap. XVII.

SI ILLI, quibus mors imminet, non destituuntur vsu su rationis, & sensuum, ac sermonis, nec tempore, sed voluntate faciendi quod ad salutem ipsorum necessarium est, imprimis iuandi sunt amicorum, vel consanguineorum charitate, qui pro eis orationes, & eleemosynas fieri, & Missas dici curent, vt sic indispositis impetretur à DEO misericordia, qua dignetur cor eorum emollire, & ad viam salutis, in tantæ

Aliorū o-
rationibus
iuuentur.
& c.

ne-



Methodus adiuuandi

necessitatis tempore adducere. & tam quæ ab ipso, qui iuuat, quam quæ ab aliis, sine ipso ægroto fieri posse diximus, cum talibus sunt per necessaria, & largius facienda, & ad huc finem applicanda, vt à Deo gratia impetretur, qua illi benè se ad migrandum disponant.

qui apud talem auctoritate valèr, hortentur eum.

INTERIM tamen non omitantur quæ cum ipso ægroto fieri poterunt. & si aliquis sit, qui apud eum auctoritatem, vel gratiam habeat, is eum hortari deberet, & rogare, vt curaret ad se vocari virum aliquem spiritualem, à quo consolationem, & auxilium acciperet, ea dicendo de persona eius, quæ libè-
tius eum audiri, & magis ei credi facient. Sed quamuis hoc non fieret, inuisat eum Sacerdos, & salutet eum, & amàter appellet, & de morbo interroget, & compatiatur eius ægritudini, & compassionem ipsam præ se ferat, vt amoris significatio cõciliet benevolentiam apud ægro-
tum, quæ multum conferet, vt quæ ad salutem suam faciunt, ab eo libè-
tius audiat, his præmissis blandè hortetur ægro-
tum, vt ad Deum pro remedio confugiat, qui sæpe per morbos hoc agit, vt qui obli-
uiscabantur sui Creatoris, hoc qua-

Vnde incipiat, qui iuuat.

si sti-

eos, qui moriuntur. 69

si stimulo incitati, ad ipsum refugiant: quòd autem propter peccata interdum immittantur morbi, pater in paralytico Io. 5. vnde sanato CHRISTVS ait, vade etiam amplius noli peccare, ne deterius tibi aliquid contingat. Vnde obseruari oportet illud Innocentij Can. Cum infirmitas, salubre decretum, vt scilicet initio morbi, egroti confiteri teneantur, vt medici in eorù curatione pergant. Deus enim, vt omnipotens, & animæ, & corporis morbos curare potest, & vt Pater, nostri amàtissimus, vult omnia, quæ nobis sunt conuenientia, si humiliter ab eo petamus, tribuere. Prius tamen necesse est eius amicitiam, & gratiam procurare: nam licet Pater sit clementissimus, & magis omnia bona nobis cõferre velit, quam nos accipere, nihilominus quia iustus est, vult, vt qui peccauit contra ipsum, agnoscat suum errorem, & vt ei displiceant quæ malè gessit, cõtra suum Creatorem, & tam multorum beneficiorum auctorem; & vt constiteatur Sacerdoti, cui dedit Deus facultatem absoluedi ab omnibus peccatis. & ita dicatur, quòd ex ea confessione debeat initium facere suæ reconciliationis eum Deo.

Quomodo ad cõfessionem disponat.

si volet



**Cōtra dif-
ferentes
confessio-
nem.
Eccl. 5.**

Methodus adiuuandi

si uolet confiteri, benè est, & cætera fiant, vt supra.

Si adhuc nollet confiteri, vel differret, dicere illi oportet illud Ecclesiastici, de quo supra cap. 2. Fili, non tardes conuerti ad Dominum, & reliqua, quæ ibi habentur contra differentes. quia si mors in statu peccati aliquem depræhendar, est certa damnatio. faciat ergo quod facturus est, dum tempus habet, forte etiam diuina bonitas si misit hoc flagellum propter peccata, cum ea confessus erit, restituet sanitatem corporis. quod si omnino ab hac vita recedendum erit, videat ipse, quanti referat ad æternam vitam transire, & ab æterna damnatione liberari. si opus erit, addi poterit aliquid de honore, vt scilicet quod magna infamia sit in tali tempore non se disponere ad moriendum, vt decet Christianum, quodque nec sepultura dignus esset. Christianis consueta. addatur etiam quod consolationem magnam sperare debeat, postquam confessus fuerit peccata sua, licet modo molestum esse videatur, confessionem instituere.

Inquirat

Quod si ne tunc quidem se

solu

para-

eos, qui moriuntur. 70

paratum ad confitendum ostendit, caret intelligere causam eius rei. aliquando enim id accidere posset ex infidelitate, vel hæresi, aliquando etiam ex desperatione, propter malè actam vitam, & multa, grauiaq; peccata, quæ forte à multis annis non est confessus. Aliquando etiam ob pactum aliquod initum cum Dæmone, qui ipsum iam vicinum morti, retinet ne confiteatur. Aliquando ex affectu aliquo fixo, circa aliqua peccata, à quibus non vult ipse recedere, quale est odium, vel vindictæ appetitus, vel vsuræ, aut aliqua malè parata, quæ non vult restituere, aut carnis peccata, vel si quid huiusmodi est. Aliquando acedia quadam & difficultatis confitendi horror.

Si infidelitas, vel hæresis detegitur, ea quæ de fide dicta sunt cap. 12. proderunt, potius quam disputare in particulari, nisi magnam daret occasionem ægrotus, ratione sui erroris assignando: tunc enim confutari id expediret, vel ab eo, qui iuuat, vel ab alio in eiusmodi rebus peritiori. sed cōmunia illa magis ad rem faciunt, etiam in hoc casu, vt plurimum. Peti etiam ab eo

tur causa,
cur nolit
confiteri.

Quid,
si infidelitas, vel hæresis de-
prehenditur.

211

posset,



Methodus adiuuandi

posset, an putet salutem consequi eos posse, qui tenent, quod catholici Christiani tenemus. Si negat, absurdum iam est manifestè, tam multa millia hominum, qui virtuti, & pietati dediti fuerunt, damnari. Si admittit (vt quidam infideles admittunt, & etiam heretici) saluos esse posse, tunc inferre poterit, cum ergo qui credunt, quod Ecclesia catholica credit, salui esse possint per te, per nos autem nullus esse saluus possit extra hanc Noe arcam, cur in tanto periculo damnationis aeternae potius, quam in securo statu, vis ex hac vita decedere? Addi etiam possunt, quae ad affectum mouendum faciunt, quale est in inferno, poenis nunquam finiendis, cruciari, & in hac vita in infamiam suam, & suorum indelebilem incidere. &c.

Quid, si desperatio detegitur.

SI animaduertitur, quòd sit potius desperatio, ob grauitatem, & multitudinem peccatorum, tunc locum habent, quae de spe erigenda dicta sunt cap. 6. & 13. & quòd totius mundi peccata, Dæmonum simul & hominum, si in vno homine coniungerentur, in abyssu misericordiae immensae, velut nihilum absorberi, & vna gutta sanguinis CHRISTI lauari possent. No-

uit

eos, qui moriuntur. 71

uit Deus figmentum suum, & eius fragilitatem, & ad peccata propensionem, & prompta est ipsius benignitas ad ignoscendum, si humiliter quis ea agnoscat, ei displiceat, & veniam confidenter speret, & postulet à Dei misericordia per IESVM CHRISTVM. &c.

SI (quod rarò accidit, sed potest tamen accidere) pactum aliquod cum Dæmone initum, diffidentiae, & desperandae salutis causa esse percipitur, dici debet, quòd proditori nullum pactum est seruandum, licet propria manu, imò & sanguine (quòd quidam fecerunt) esset chyrographum Dæmoni datum: & quòd deceptorem decipere debet, & confugere ad verum Deum, & Dominum nostrum IESVM CHRISTVM, qui creauit nos, & à potestate Dæmonis, & tenebrarum, per sanguinem suum nos eripuit, & transtulit in regnum suum: & exempla adduci possunt, vt illius, qui à Beato Basilio adiuuus est, & chirographum, quòd dederat Dæmoni, fuit ei restitutum, & aliarum personarum notarum, quas constat initum pactum cum Dæmone eluisse per confessionem, & viâ salutis esse ingressas. & licet Dæ-

Quid, si pactum cum Dæmone im-pedit.

mon



Methodus adiuuandi

mon non redderet thirographum, non refert, quia CHRIS TVS IESVS, Dominus est absolutus vniuersorum, & ita dici debent, quæ ad spem faciunt, alibi dicta, & quæ ad contritionem, proponente ipso ægroto, si Deus vitam dedit, pœnitentiam & satisfactionem ad arbitrium confessarij.

Quid, cum ex affectu peccati non vult confiteri.

SI difficultas consistendi, ex eo procedit, quòd non velit ægrotus vel affectum peccati relinquere, vel rem iniuste possessam, aut damnum illatum restituere, imprimis significetur ei, quòd certa mors imminet, quæ faciet, vt omnia bona hæc, & corpus ipsum, cum suis affectibus relinquatur, nec secum feret aliud, quàm animam suam, & bona vel mala, quæ egerit, & quòd ante tribunal CHRISTI sistetur, vt secundum ea, quæ gessit vel ad ignem æternum damnetur, vel vitam æternam accipiat. & si timet filios in paupertate deserere, restituendo quod debet, vel ab iniusto quæstu recedendo (nam in hoc solet esse maior difficultas, quàm in aliis affectibus) videat, quàm sit contra omnem rationem, vt velit ipse in æternum paupertate, & diris tormentis cruciari, vt filij habeant bona tem-

poralia,

eos, qui moriuntur. 76

poralia, quæ forte illis erunt causa eiusdem damnationis, & quibus forte non diu fruuntur etiam in hac vita, quia malè parata malè dilabuntur, & de eis raro gaudebit tertius hæres. & quod Dei, Patris veri, prouidentia sunt committendi, postquam is fecerit, quod iuste pro eis possit. & demum addi debent, quæ timorem incutiunt pœnarum, & quæ mouere possunt ad præferenda his bonis terrenis celestia & sempiterna bona, ad quæ se disponet, relinquendo quæ iniuste hic retinentur. Et quia varia hominum ingenia, variis modis mouentur, si via timoris non sufficit, nec spei, tentetur ea, quæ ratione amoris valeret mouere; (& vim habere possent in iis, qui carnalibus affectibus adhærent, & etiam in aliis explicando beneficia Dei tam naturæ, quàm gratiæ, & gloriæ, vt supra cap. 7. & charitatem Patris æterni, qui cum inimici essemus, dedit filium suum, vt nos seruos redimeret, dilectionem filij, qui vitam suam dedit pro nobis, vt supra cap. 7. aliqua etiam de fama vel bono nomine

G in



Methodus adiuuandi

in hac vita possent quosdam mouere. & si obseruabit, quòd ægrotus, his potius, quam illis rationibus, vel modis moueatur, in eis magis hæreat (cum moderatione tamen prudenti) quæ efficaciora senserit, ut is ad salutem suam curandam, excitetur, ac iuuetur.

Quid cū
ex acedia
impedi-
tur.

Si difficultas non videtur in effectu fixo ad peccatum, sed potius in acedia quadam, quæ facit ut laborem se dilponendi, quis exhorrescat, imprimis significanda est ei mortis imminētis vicinitas, & damnationis æternæ periculum, si non fecerit quod debet. deinde offerat suam operam qui iuuat morientem, ad redigenda ei in memoriam peccata, & partem pœnitentiæ, si opus erit, pro ipso subeundam. et si ne tunc quidem vellet, prodesse possit quod alicui ex patribus nostris accidit cū quodam, qui confiteri sacramentaliter recitabat, ut scilicet per modum colloquij cum ægrotō (semotis arbitris) interroget de speciebus peccatorum, quæ ipsius conscientiam præmunt, descendendo quantum possit, & sit satis ad particularia. & cum iam vel omnia, vel magnam partem habuerit, dici possit

ei,

eos, qui moriuntur. 72

ei, ecce tu timebas laborem confessionis, & tamen ferè omnia confessus es, quæ oportebat. vis ergo finire quod reliquum est, ut tibi impendam beneficium absolutio- nis? si admittet, tunc, ut cum magis disposito, pergat ad reliqua, & ad dolorem pro peccatis habendum adiuuet, ut supra cap. 2. & cum eò adductus erit, ut absolui possit, eum absoluet.

VNDECVMQVE accidit difficultas ægrotō, si in primo congressu non sibi persuaderi sinit, ut confiteatur, & ad mortem se disponat, curet qui iuuat, ut eleemosynas pro se faciat, & orationes, & Missarum sacrificia postulet, oret & ipse, ac Deo se commendet, vel si per se hæc non fecerit, committat aliis, ut pro ipso, quam largè fieri possit, ea præstent. & non ita eum, qui talis est relinquat, si fieri possit, quin denuò ad ipsum reditus pateat, ad agendum de iis, quæ ad animæ ipsius salutem pertinent, ideò ut ne molestus sit ægrotō, (sic disposito præsertim) imò, ut ei gratus sit, & consolationem adferat, studere debet. & si de aliquo alio, putareretur, quòd futurus esset gratioꝝ ægrotō, vel maioris aucto-

Adduca-
tur ad eleemo-
synas. &c.

G ij ritatis



Methodus adiuuandi

toritatis apud ipsum, suggerat amicis infirmi, vt eis euocetur. Si tandem ad confessionem adducatur, procedi cum eo poterit in cōmunionē, extrema vnctione, testamento, & aliis, quæ conferre dicebantur morientibus, pro vt dictum est, cum benè dispositis ad auxilium ferendum, procedendum esse, secundum quod tempus, locus & personarum qualitas feret.

Quomodo adiuuandi, qui propter delicta sua damnati, à Iudicibus mortis sententiam acceperunt.
Cap. XVIII.

PERVILIS sanè esset in primis, vt iis omnibus, qui à mœore ac tristitia morte mulctandos leuaturi vocantur ad carceres, omnis eorundem viuendi ratio prius nota fieret, ac familiaris, confessiones excipiendo, eosdem adhortando, atq; adedò etiam, si res ita postularet, vtrūque hominè pro viribus adiuuando; si quidem multū

con-

eos, qui moriuntur. 82

conferre videtur, vt huiusmodi viri ab his, quos in carceribus degentes inueniunt, post verò ad supremum damnantur supplicium, in magno honore habeantur, dum recordantur secum illis antea horas totas familiariter esse locutos, quos ad id præstandum diuini honoris zelo, & suarum animarum salutis desiderio impulsos cognouerunt. Quo etiam sæpe moti omnem illis vitæ suæ rationem apertè declararunt. quæ quidem res aperit amplissimum aditū ad facile id, quod intēdimus obeundum. E contra verò, si quis fortè reum, qui iam iam ad præsentem dicitur necem, solari voluerit, cum nunquàm eum nec de nomine, aut facie nouerit; credendum est fore periculum, ne minus res è sententia succedat, verendumq; ne hac ipsamet re callidus. Cæcòdèmon vtitur ad magis magisq; necandi hominis ab omni pietate auersum animū confirmandum, illius menti obiciendo, eum in extremo vitæ periculo ab omnibus, quos ante nouerat, omnino destitui, & socios tantum habere eos, qui nolentem trahant ad interitum.

ADMODVM præterea videtur esse necessarium, eū, qui velit cōso-

G iij lato.



Methodus adiuuandi

litoris, hortatorisq; subire prouinciam, vel cum eius loci Moderatore vel Iudicibus, aut custodibus, aut etiam saltem cum illorum carcerum œconomo, qui & ex antiquis esse solet, nec vt plurimum vniuersuiusq; ignorat vitę discrimen, aliquo modo conuenire, vt ex verbis intelligat an aliqui in eo carcere reperiantur, de quorum capite agatur, vel saltem agi sit periculum, quò facilius cum iisdem maiorem contrahat amicitiam, eosq; ad pœnitendum hortetur, ante mentis aciem ipsorum exhorrenda, ac pertimescenda scelera proponēdo, ex quo facile fit, vt tum ad expianda confessione flagitia, & sacrum CHRISTI Seruatoris nostri corpus assumendum; Tum etiam ad solam Dei Opt. Max. voluntatem exoptandam, siue victuri sint, siue morituri rei excitentur: quod forte non ita fieret in ipso extremæ vitæ periculo. Cauendum tamen maximè erit, ne in familiaribus colloquutionibus aliquid illis certū esse de imminente mortē significetur, ne hoc nimium exhorrentes, animo caderēt omnino, ac de omni salute illico animæ, corporisq; desperent, ideoq; nullius amplius

eos, qui moriuntur. 74

colloquia ad animarum suarum salutem pertinentia, velint admittere. sed potius maiori consilio, ac prudentia certiori procedetur, si omnia, quæ dicentur, à peruersi facinoris grauitate quasi ducta, ac petita, cum magno periculo illis impendente, conferantur.

MAXIME etiam consolanti est animaduertendum, ne cum in tempesta nocte plectendum capite roboraturus accedit, primus ante ipsam se sistat in eo cubiculo, ad quod suo aduentu reus euocatur. Etenim semper ferè custodes carcerum, ne nimium reis mortis horrorem incutiant, ab inferiori cubiculo euocant ad superius, non quasi ad mortem, sed potius aut ad trirēmes, aut in exilium amandando. &c. Quare si reo alacriter superius ascendenti primus omnium sese confessarius offerret, fiet, non modò, vt ei nihil omnino virium consolando adderet, sed eas etiam omnes, quas haberet, sua præsentia frangeret ac debilitaret. Omnis igitur cura hac in re custodibus videtur esse relinquenda, à quibus prius de certa imminente morte admonitus reus, & ad libenter id faciendum paululum anima-



Methodus adiuuandū

tus, addi etiam poterit secum confessarium adduxisse, qui eum facile consolabitur, & ad bene ex hac calamitosa vita decedendum edocebit. Tum verò ad eum ipse confessarius ingressus, aliquem doloris sensum præferendo, alacri patientiq; animo esse subeundam ostendet, siquidem Diuina voluntate hominumq; sapientum consilio id totum efficitur.

Hæc verò, aut his similia mortis reo proponentur.

1. **DE VM** Opt. Max. qui mundum hunc vniuersum æterna quadam mētis prouisione moderatur, hanc salutis suæ viam statuisse; Qui quidem quamuis eum ad felicitatis patriam alio tramite ducere potuisset, magis hoc ei expedire præcognouit, atq; id eò erecto animo mortem esse perferendam, quin etiam exoptandam, & c.

2. **EAM** ipsam mortem, quam ipse tantum exhorret, summum etiam bonum, beneficiumq; singulare ipsi à Deo immortalī munificētissime concessum, quis enim non aperte videat eū, qui tot sceleribus, odiis, immensisq; periculis fuit inuo-

lutus,

eos, qui moriuntur. 76

lutus, toriens aut inimicorū suorum telis confossum occidere, aut etiam Diuina voluntate subita quadā nece extingui potuisse? At hæc omnia ipsum Dei beneficio euasisse (quod non ita facile exhibuit omnibus) quin potius scelerum suorum cum animi magno dolore, lacrymisq; posse pœnitere, eaq; sibi præsentī detegere confessario.

3. **HVIC** simile certum vitæ suæ spatium Prophetam exposulasse, Notum fac mihi domine finem meum, & numerum dierum meorum. Quod etiā nec quàm plurimis est cōcessum, qui peruerso potius animo, improuisa morte ceciderūt, pœnas etiā daturī sempiternas.

4. **HOC** mortis genus esse felicissimum, & à quouis alio, erecto quidē animo perferendū, vt suauissimum. siquidem cū ob varios morbos præsentēs, egros admodū diuturna torqueat cogitatio acerbissimum dolorum, qui perferuntur, medicamentorum, qui summa cum difficultate assumuntur, et expectationis futuræ sanitatis, vt vix credi possit egrum sana mente cōmissorum facinorū recordari, ne dum dolere. ex quo fit sæpe, vt quā plurimi spe quadā inani conualescendi quāprimum

Psal. 38.

G v dece-



Methodus adiunandi

decepti, absque vlla peccatorum suorum expiatione moriantur. si verò mortem eam consideres, quæ subito minimè de illa cogitantes tollit è medio, luce clarius potest calamitosissimum esse genus interitus. si demum illud atrocissimum mortis genus perpendas, quò quidem multi ab inimicis crudeliter vulnerati ex hac vita emigrant, nonne credendum erit eum, qui ita necatur nihil aliud posse, quàm de suis inimicis, vulneribus, cruore, iniuriis, doloribus, ac spem vindictæ cogitare? vt mirum valde sit, si ei à summa Dei bonitate aliquid etiam temporis, lociq; concedatur, ad lachrymis, ac dolore eluèda flagitia. Hæc autem omnia longè ab hac morte, quæ reo impendet, distare, cum & ipsemet reus sanæ sit mentis, & omne vitæ suæ periculum apertè cognoscat. & c. vt nihil aliud ei sit faciendum, quàm suorum scelerum à Deo Opt. Max. veniam implorare. quod si faciat, quàm citissimè ad æternæ felicitatis gaudia perfruenda ex hac mortali vita euolabit.

5. **MULTOS** esse, qui benè agere cupiant magnopere, sed careant tempore. alios, qui diffluant

otio,

eos, qui moriuntur. 76

otio, sed opportunitate, & auxilio destituantur, quàm plurimos quibus & tempus suppetat, nec desit opportunitas, sed vnico indigeant amore pietatis. Ipsi vero reo nihil bonum, si tamen velit, deesse, cum certum offeratur ei temporis spatium, in quo cum pœnituerit, suorum peccatorum veniam consequantur. In quacunque enim hora ingemuerit peccator. & c. neq; desit qui eum libentissimè vsq; ad extremum vitæ ipsum hortari velit, atq; consolari; Ideoq; cogitationem omnem in Deum esse conuertendam, ne venia bona, quæ hoc pacto ipsi consequenda proposuit, deperdat contemnendo.

6. **POTERVNT** etiam à consolatore aliqua Sanctorum Martyrum supplicia, ac tormenta, quibus à perditissimis viris, iniuria necati fuerunt, enarrari, & præsertim Sancti illius, qui eodem nomine, ac ipsemet reus, appellatur. Plura etiam fasè dici de his, quæ Seruator noster **CHRISTVS**, vt nos ab interitu vindicaret, est perpeffus. Neq; verò hoc etiam loco erit ab re; si aliqua exempla proferantur, quibus aliquos viros admodum nobiles, ob minus scelus perpetratum,

G vj vel



Methodus adiuuandi

vel etiam innocentes ad grauiora supplicia damnatos esse ostendatur; qui potius tormentorum grauitate superari, quàm rei veritate impulsus, aliquando vel maiora facinora, vel etiam (quod sæpenu-mero solet accidere) non perpetrata modò, sed nec excogitata quidem, se commississe sunt confessi.

7. Addi etiã poterit, quid? nõne mi frater, tibi semel siue in cubile, siue in aqua aut igne, aut aère. &c. est mori edũ? Quid igitur est quod mortem pertimescas? conare, conare mi frater, vt hæc necessitas in magnam vertatur animi tui confortiam, atq; virtutem quandã excelsam, qua ipsam etiã mortẽ omninò contemnas. Et hæc, quæ modo dicam, tecũ ipse meditare, Vtinam Domine Iesu inter Turcarũ, Hereticorumq; tui nominis manus inimicas hanc vitam, à qua mox ego decedam, vna cũ toto sanguine profundere mihi licuisset, vel saltem has easdem pœnas, quas meritò, ob mea summa scelera luo, pro veræ fidei clara confessione perferrem. O te. N. certè scelicem si hæc agas, siq; tecũ hæc cogites. Nam quodãmodo verus Martyr ex hac vita migrans euolabis in cœlũ: et id quidem meritò, si quidẽ Deus

im-

eos, qui moriuntur. 78

immortalis non minus misericors esse credendus est, quàm iustus. Cũ ergo iustitia Dei pœnas, & ignem intenter æternum, lethale crimen dũtaxat perpetrare cupientibus. Qui odit fratrem suũ in corde, homicida est; & qui viderit mulierem ad concupiscendam eam, iã mechatus est eam in corde suo quare etiam misericordiam non ostendet (misericordiã enim eius super omnia opera eius) erga eum; qui summopere optet eandem, quam martyres, subire sententiam? quin etiam adde, si eum, qui velit bona aliqua efficere, cũ verè non possit, vt elargiri eleemosynam, propriã carnem extenuare ieiuniis, corpus verberibus affligere. &c. omnium illorum eundẽ dicimus in cœlo esse premiũ consequuturum. cur etiam eum nõ martyrem appellabimus, qui quicquid martyres passi sunt, ipse & verè aliquo modo, vt illi, patiatur, & omni etiam ex parte pati percipiat?

8. CERTO scito, mi frater, Deum hac tua morte, quasi tacita quadam cohortatione, vt reliqui ad benè operandum incitentur, ac de eo ab omnibus, qui eum nouerunt malè concepta tollenda fun-

ditus,

1. Io 3.
Mat. 5.



Methodus adiuuandi

ditus, vt de tua potius benè sperent salute, vti velle. Atq; ideo hæc ipsa mors eò tibi gratior esse debet, quò facilius poteris eam magna patientia perferendo, omnibus, quibus peruersis tuis sceleribus obtulisti, satisfacere. ex quo fiet, vt & tu gloriosum vita æternæ inde referas fructum, & omnes etiam quodam emolumentum accipiant.

9. **HIS** omnibus explicatis, bonum etiam admodum est, consolans occasione opportune sumpta, reum ad aliquantisper secum cum cæteris, qui aderunt, orandum hortetur. quo factò omnium sanctorum opem Litanis implorabit. postmodum passionem Domini nostri & c. recitando, quibus in locis videbitur insister, eaq; reo accommodatè explicabit. Addat etiam, si per tempus licuerit, paucis tamen mutatis, animæ commendationem, aliquid in ipsarum orationum recitatione animaduertendo, deuoteq; contemplando.

10. **MAXIME** etiam cohortandus reus erit, vt, si fieri possit, animum suum generali quadam omnium, quæ recordatur peccatorum expiatione detergat. hac enim scelerum suorù recordatione ma-

eos, qui moriuntur. 78

gis ad dolorem, patientiamq; inflammatur, dum apertè cognoscit se toties ea commisisse, quorum singula mortis pœna multari debuissent.

11. **SI BENE** ac deuotè ex his reus animi quondam sensu erga Deum erit affectus, poterit ille probari, vt aliquo flagello se cedat, prius verbis ostendendo, multò maioris esse meriti eas pœnas, quæ in hac vita spontè dantur, quam quæ coactè & necessariò, siue in hac vita, siue post mortem in purgatorio perferuntur.

12. **SOLET** etiam mors ea, qua reus plectitur, ipsi quasi quædam perferenda pœna scelerum commissorum à confessario iniungi, cum & ob temporis angustias aliud faciendum imponi non possit, & id etiam permagni esse credendum sit meriti.

13. **NEQUE** verò vltra duas horas est à consolatore cum reo colloquio differenda, ne illi aliqua ex hac re molestia pariat, ni forte ipsemet reus id summè exoptaret, vt hac ratione vterq; aliquo temporis spatio à mentis labore quiescat. & vt postea ille quidem facilius colloqui, is verò attentius



Methodus adiuuandi

possit eum dicentem audire.

14. **ALIQUID** prætetea temporis reo erit concedendum, quo aliqua vel circa peccata, vel mortē, Infernum, iudicium, gloriā, **CHRIST**i passionem, & his similia, meditetur. quod totum fieri debet habita morum, ac vi cognoscendi eiusdem ratione.

15. **NON** admodum expedire videtur, vt præter Consolatorem, aut etiam eius socium plures tunc temporis cum ipso colloquantur. Qui verò cum eo colloquuntur, aduertant à nulla re esse sermonem instituendum, quæ aliquo pacto ad animæ ipsius rei salutem non videntur pertinere, ne aliqua ei datur occasio de parentibus, amicis, re familiari, rebus gestis, gerendisue cogitandi, solet enim **Demon** vel minima occasione sumpta, hæc consideranda iniicere menti, vt animus ab omni pietate, & mortis amore, ac Dei contemptum, ac longius vitæ desiderii protrahatur.

16. **ADMONEAT** consolator eos, qui ientaculum sunt reo ministraturi, ne nimio potu reddatur ebrius, quod quidem summo studio fieri curant, vt hac ratione omni moriendi metus, animiq; sollicitu

do

eos, qui moriuntur. 78

do auferatur. Qui sanè ignorant hoc esse **Dæmonis** quoddam inuentum, qui optimè nouit quantum sana mens conferat ad bonè, scilicet; moriendum, cum tunc temporis de summo agatur, vel vitæ, aut mortis æternæ discrimine. &c.

17. **CAVEAT** summopere consolator, ne quicquam ad festinandam reo mortem proferat: hæc aut his similia dicendo, Eia, nimis moramini; tempus tandem instat, properate, sunt enim alia negotia peragenda, nunc reus optimè est erga Deum animatus, cito eum ab instantis mortis cogitatione liberate, multo sapone suam perungite, ne nimium intermoriendum excrucietur. Aut etiam ipsi reo, propera in via, bonè firmiterq; conscende gradus. &c. Aut itidem retusam securi aciem curet acuendā. &c. Hæc enim aut dicere, aut efficere esset reo maturare mortē, & irregularitatis poenā incurrere, ideoq; vniciq; sunt propria obeunda munera, iuxta officij sui rationem. & licet aliquando carnifex, vel satellitus præfectus à consolante petant, an omnia sint ab soluta, expeditaq; & an tempus credit esse opportunū, iustitiæ madata

SECTIO

EXC.



Methodus adiuuandi

exequendi, hisq; familia. &c. ipse tamen imnotus, quod suum est, faciendo expediat, cæterisq; omnem aliam curam omittat sua peragendi.

18. **D**VM reus ad mortem ducitur, summa est attentione hortatori curandum, ne oculis hinc inde aspiciendo, aut quempiam salutando, aut salutanti respondendo, animo diuagetur. nec etiam ipsemet hortator tunc temporis, rei nomine, aliquid cuiquam iubeat faciendum, sed omni mentis ac virium suarum conatu in vnam illius animæ perbreui temporis spatio ex hac vita migraturæ salutem, totus incumbat.

19. **S**I fortè aliquid esse scrupuli appateret, quo rei mens conscientia præmeretur, vt etiam si optare videretur res suas alicui, ac supellectiles testamento legare, erit in his omnibus, quantum fieri licebit, testibus necessariis aduocatis, adiuuandus. qua quidem in re confessarius, consolatorue aduertat, ne vnâ cum testibus, aut scriptoribus censeatur, ni forte aliquid ipsum scribere esset necessarium, quod etiam nec eiusdem propria erit manu subsignandum. si verò fortè res

aliquæ

eos, qui moriuntur. 80

aliquæ ab ipso reo relictæ erunt in carceribus, id ipsimet iubere poterit, con sanguineis, aut cui velit tribuantur, aut potius ob animæ suæ salutem in pauperes erogentur.

20. **Q**uamvis hortator poterit enitatur, vt si quid odij in iudicem, aut partem aduersam, aut testes, aut quemuis alium, rei animo erit infixum, id euellat omne, quin potius hanc Dei immortalis voluntatem esse ostendat, ideoq; ipsum huiusmodi mortis genus quamuis innocentem debere perferre libentissimè. Monendusq; erit, vt si quid tormentorum acerbitate coactus, aut de alterius fama detraxerit, aut falsò quempiam accusauerit, eum per temporis angustias, neq; testes adhibere, vt moris est, publicum scribam liceat aduocare, id ipsum totum præfenti populo, Deum imprimis testatus, exponat, affirmetq; hunc falsò insinulatum crimine, illum necis, & flagitij. &c. ipsamq; populi multitudinem elata voce det testem in has res singulas, antequam aut collum in laqueum inferat, aut securi ceruices supponat; ne detrimenti quicquam innocens sua culpa patiat. Quòd si minus etiam suæ famæ vi, metuq; con-

fulue-



Methodus adiuuandi

fuluerit, erit ei apertè dicendum quod verum est, ne & animi, & corporis vnus idemq; sit interitus.

21. Si cōsolator aliquos precarios calculos secū habuerit, quibus reus in mortis articulo plenariam suorū scelerum Indulgentiā consequi possit, orandus erit, vt moriturus ea perficiat, quæ necessaria sunt ad Indulgentiam illam consequendam.

22. Neq; verò aut in carceribus, aut eo in loco, vbi reus erit è medio tollendus, cōsolator illi multū adhærescat, id diligenter aduertat, præsertim in carcere, vt eius manus suis sint semper catenis colligatæ. licet enim sæpè rei animo pacato esse videantur, aliquādo tamen subito quodā mortis horrore correpti, prorūpant in phrenesim, & quasi lymphatici etiā sibimet ipsis, non modo cæteris, mortem consciscere machinātur. etenim sæpissimè clarè custodes intuiti sunt illos, quasi mēte captos, capita parietibus collidētes, & quicquid manu arripuerint, in adstantium ceruices deuibrantes. Alia tamen ratione procedēdum cum iis, qui ob familiæ nobilitatem, & magnam quādam animi demissionem ac dolorem, tanta manuū, ac totius corporis constrictione non egent.

eos, qui moriuntur. 80

23. V T maiori eū alacritate reus accēdat ad mortem, polliceatur illi confessarius, se pro illo post eius mortem diu dominū oraturum, atq; diligenter, vt multi idē efficiant, curaturū (quod verè post exequetur) Moneatq; sæpe, an ei aliquid noui, quod sit confessione excipiendum, occurrat. an ab aliqua fidei, odij, desperationis, lōgioris vitæ huius aut parentū amore, aut cuiusvis alterius rei tentatione à cacodæmone torqueatur. Nec vnquā à cohortatione ad patientiā, ad magnā spem diuini auxiliij, passionis CHRISTI, ac vitæ æternæ, ad quam cum CHRISTO ac Diuis quāplurimis, qui multò acerbiorè passi sunt mortem, sempiterno tempore moraturus, si velit, perueniet q̄ citissimè. Adde etiam ei quodāmodo ipsi intuidere, quippe cum à tot laboribus, animi perturbationibus, corporis morbis, perpetuò quasi carcere, simulatibus, infinitis propemodū calamitatibus, & ipsamet morte, moriendo, liberetur. & quòd omnium maximum bonū est videndum, & omnis aditus ipsi perpetrandi facinora præcludatur, & ad perfectè Deum cum Angelis ac Diuis omnibus collaudandum, amplissima quædam ianua referetur.



Methodus adiuuandi

24. **S**UMMA præterea est attentione aduertendum, ne forte aliquo modo cum consanguineis, vxore, aut illis colloquatur, sed potius horum omnium, quantum fieri poterit, memoria erit ac mentio suppressenda. nec etiam ad id eius, aut amici, aut quidam cum eo colloquendi quadam curiositate ducti, erunt admittendi, si quidem horum omnium eo extremo vitæ tempore sermo nihil prodesse, multum autem potest obesse.

25. **Q**UAM sæpissimè rei non tam mortem ipsam, quam genus iptum mortis turpissimum extimantes, perhorrescunt, sibi met ipsis malam crucem præ oculis obucientes, se ipsos in ea iam extinctos fingendo, & innumera adstantis plebis, ac pertransuentis irrisiones, atq; contemptus contemplando. &c. Ideo maximè consolator eos hortabitur, vt pendentis **CHRISTI** in Cruce imaginem ac simul **D. Petri, D. Andreae**, ac multorum Sanctorum Martyrum Cruci affixorum meditentur eotq; docebit pluris animum esse faciendum, qui nunquam extingui potest, quam corpus hoc, quod vnà cum brutis citò incineres, aridumq; puluerem eua-

ne-

eos, qui moriuntur. 82

nescet. ideoq; summo studio esse conandum vt eo tempore perbreui, quo corpus pendet in cruce, animus noua quadam vita, & gaudis incipiat perfui sempiternis. Vt quamplurimis, qui hoc mortis genere extincti sunt, credendum est foeliciter euenisse.

26. **T**ANDEM cū teus è vita mi grauerit, si vxorem, filios, aut parentes, aut consanguineos superstites habuerit, qui ob summum dolorem turpissimæ mortis, qua suus, **N.** fuit affectus, penè desperent: Iplemet, qui reum est consolatus, illos adibit, atq; solabitur affimando **N.** suum, vt verum Christianum decet, ex hac vita cessisse, ideoq; eum nõ tam inter turpi morte mulciatos, quàm inter æterna foelicisq; vita pertruentes esse numerandum. Hæc igitur illis hisq; similia dicenda erunt, quæ Spiritus ipsemet **SANCTUS** vberissime subministrabit.

HABITAQVE, aliæq; piæ meditationes ad consolandum eos, qui facile flectuntur in bonum, poterunt adhiberi. Quod si quis reus reperiatur, qui illis nequeat obfirmata mente dimoueri, ad alia erit firmiora, ac potiora remedia recurrendum.

108

I. M. A.



Methodu sadiuuandi

1. **MAXIME** reum conduce-
re, si huiusmodi reum ea, qua con-
solator poterit, animi demissione,
adeoque, si necesse erit, flexis ge-
nibus, cohortetur ad amorem erga
Deum animum pie excitandum, a-
nimæq; suæ salutis consulendum.
quod efficiet facile, si in hoc ex-
tremo vitæ suæ tempore, omnem
animi sui labem peccatorum con-
fessione abstergendo, in Dei æquif-
simi rerum æstimatoris voluntate
acquiescat. Hic etiam erunt nobi-
liorum virorum ipso reo exempla
proferenda, qui non ad eò graui
patrato flagitio, poenas tamen de-
derunt grauioribus. Ac præsertim si
cui illorum morienti ipsimet idem
consolator adfuerit.

2. **SI VERÒ** his explicatis,
reus adhuc peruerso animo, in er-
rore concepto persistat, tetro ira-
toq; vultu, ac verbis grauioribus
cum eo agendum erit, eiq; dicen-
dum, Abi hinc, discede ex homi-
num conspectu, qui nec ipsa terra
sustentari, & omninò à Deo non
mereris in hoc summo vel æternæ
vitæ vel mortis discrimine adiuua-
ri, equidem nunc mihi omnem a-
nimi tui curam iure censeo esse de-
ponendam. quid addam præterea?

eos, qui moriuntur. 83

non secus ac rationis expers bellua
quædam morieris, & quod calami-
tosius de hoc æuo, extincto corpo-
re, animus etiam ad interitum per-
ferendum sempiternum, à Dæmo-
nibus raptus, in horrendos inferni
carceres detrudetur. Quo factò,
simulandum erit hortatori se velle
discedere (ab illo verè paululum
discedendo) quippe cum ad per-
uersam, obfirmatamq; mentem cõ-
mouendam omnis adhortatio nihil
valere videatur.

3. **AT SI** hæc etiam frustra
fieri viderentur, eundem hortari
poterit consolator per aliquem a-
lium reum eadem morte plecten-
dum, qui læto sit alacriq; animo, ac
benè erga Deum affectus; hic enim
facilus ad necem patienter feren-
dam permouebit, ostendendo sibi
eiusdem mortis genere vel acer-
biori esse occumbendum, & tamen
summopere de hac præpotētis Dei
voluntate gaudere. Quibus autem
de rebus, quoq; pacto reo cum reo
fit colloquendum, consolator prius
ostendet, vtriusque tamen personæ
semper seruata ratione.

4. **SI** neq; his reus ad pœniten-
dum moueatur, rursus ad eum re-
deat consolator, ac blando sermone



Methodus adiuvandi

quicquid ab ipso dictum fuerat, rectè nec sine ratione dici potuisse asseueret, non ideo tamen esse desperandum, sed potius cum ipsi sit eo mortis genere necessario è vita decedendum, dolorem ac turpitudinem mentis tranquillitate magna ex parte adimendam. Addet præterea consolator, si fieri posset, & ad maiorem Dei gloriam, famulatûq; pertineret, se optare summopere pro ipsomet reo eandem mortis subire sententiam, si quidem **CHRISTVS** Dominum, omnium, quæ excogitari possunt acerbissimam turpissimâq; mortem ne ad interitum rueremus sempiternû, summo quodam æternoq; amore perpeffus est libentissimè. Hic aliqua paulò fufius erunt exaggeranda, quibus clarè acerbissimum turpissimumq; fuisse illud in eis genus ostèdatur. Primò si carnifices contempleris, inimici erant. Secundò si tormenta, exhorrenda. Tertiò si tempus Paschatis festum celeberrimum. Quartò, si locum extra mœnia Hyerusalem præcipuè Hebræorum ciuitatis summû Caluarij montis fastigiû. &c. Quintò si personam, Dei filius purissima Beatissimæ Virginis carne vestitus. &c. Sextò si demum scelus, summa

inno-

eos, qui moriuntur. 84

innocentia **CHRISTI**, & summa nostrum omnium, innumeraq; flagitia. &c. His explicatis, aliqua etiam (si videbitur) erunt Sanctorum Martyrum exempla proponenda, qui longo tempore cruciatibus summis torquebantur, in quorum numero præcipuè fuerunt Diuus Laurentius, Diuus Sebastianus, ac Diuus Andreas, Qui trium dierum spatio viuus pependit in Cruce. &c. Ad præterea poterit, quamplurimos reperiri, qui vitam certo ferè periculo mortis exponunt, perparua dum taxat lucrandi spe incitati, cuiusmodi sunt mercatores, qui vitam resq; suas omnes ventis ac fretis committunt; milites, qui quotidie inter acies, & arma versantur, ac strictum ferrum iugulo necem intentant passim intuentur. ac demum quidam digladiatores, qui quoduis honoris licet exiguum passî detrimentum, armis ferroque illico agendum esse constituunt. quorum hominum plurimi, aut vulnerantur, aut etiam more belluarum enecantur.

5. Quid si nec his flecti posse videatur, vnà cum iis, qui aderunt, consolator pro eo ora-

H ij turi,



Methodus adiuuandi

turi, exoptulando ab ipso reo, vt idem efficiat, ne in peruerso animo perdurando miserimè moriatur, sed potius diuinū sibi sentiat adesse auxilium. ideoq; etiam præsentibus cæteris (si expedire videbitur) consolator propriis manibus aliquo flagello se cedat verberibus; ex hoc enim forte fiet vt ingentem erga se amorem reus admiratus, à peruersa sententia ad pœnitendum, & animę suæ prouidendum deducatur.

6. VERVM si hæc omnia nihil prorsus prodesse apertè apparebit, summis præcibus ab eo confessarius esflagitabit, vt quamuis paratus non esset ad parcendum inimicis, aut ad hoc obiectum, ac turpe mortis genus libenter sibi perferendum non esse videretur, saltem animum peccatorum confessione detergat, ab omni turpitudine. &c. Hoc enim facto sperandum erit vt vi quadam pœnitentię sacramenti roboratus ad omnia, quæ velit confessarius faciendâ inflammetur. præsertim si eidem eandem capitis sententiam multoties incurrisse, ob varia patrata flagitia, multis rationibus ostendatur. Quod si fortè è contra minus ex hoc ipso aptus fieret ad recipiendum suorum scelerum

abso-

eos, qui moriuntur. 85

absolutionem, non erit absoluedus, seu commonendus (nulla tamen huius rei cæteris significatio facta, ratione sigilli) ipsum adhuc in Demonum manibus astrictū detineri, nec vlla ratione tot catenas, ac nodos, ni eum verè pœniteat, posse perfringi. &c.

NEQVE verò ideo desistat à cohortationibus consolator, sed ad finem vsq; perseueret, & in ipso extremo vitæ tempore, etiam consensu patibulo, denuò eum ad pœnitendum hortetur, si quidem eo perbreui spatio, si velit, vitam consequetur æternam, sin minus inferni semper duratura supplicia patietur: quo illi explicato, hæc etiam ad permouendum addi poterunt. Quid tibi animo ita obfirmato, & à Deo auerso mori proderit? pœniteat, pœniteat te scelerum commissorum, cura tandem, vt omnes intelligant te Christiano nomine dignum ex hac vita migrare; hoc si feceris, ego vnà cum hac vniuersa hominum multitudine pro animæ tuæ salute Deum exorabimus, (quod quidem verè ipse efficiat, cæterisq; præsentibus faciendum præcipiat.) Quod si tunc temporis reus aliquod doloris signū præ-

H iij fetu-



Methodus adiuuandi

seculerit, satis erit ea contritio, aut attritio, & absolui poterit, eo tamen prius monito, an aliquid præterea, quæ prius fuerat confessus, occurrat. His itaq; omnibus diligenter absolutis sperandum esse credendum est reos omnes, qui morte mulctantur ex hac vita, tanquam ex turbulentissimo mari ad felicissimum, atq; tranquillum æternæ vitæ portum migraturos.

De iis, quæ ad morientem
iuuandum faciunt, sed
sine ipso tractantur.
Cap. XIX.

QUAE hætenus dicta sunt, ad ægrotantis auxilium, non nisi per ipsum, vel saltem non sine ipso transigi possunt, alia sine ipso fieri possunt, & debent, vt quæ hic dicentur.

PRIMUM autem inter ea locum habet oratio, sacerdotis ipsius, qui iuuat morientem, tam cum admissus ad eum est, ac recitat illud

Beati

eos, qui moriuntur. 86

Beati Iacobi, scilicet infirmatur quis in vobis, &c. dicitq; stans, & aperto capite, Euangelium & Orationem super infirmos dici solitam, quam cum admiscet aliis colloquiis cum infirmo alias preces alta vel submissa voce, sed crebrius & diutius orabit, quando infirmus sensum & iudicij vsum amisit, vt etiam superius dictum est. Alterum locum habet oratio eorum qui præfentes sunt, qui cum Sacerdote vel socio eius dicent Litanias, vel alias Orationes pro infirmis. Et hæc intelliguntur præter orationes, quas in via facere, & domi etiam debet, qui morientes iuuat, de quibus primo capite.

SI commodè fieri poterit, aget cum iis, qui coniuncti sunt ægrotanti, vel cuius curam habent, & rerum eius, vt elemosynas pro eo faciant, de bonis ipsius, vel vt volent, & Missas dici pro eo, & in monasteriis & locis pijs, orationes in eius subuentio nem fieri curent. si etiam ieiunia aut aliq; castigationes corporis, & aliqua vota, & piæ aliæ actiones & Missarum præcipuè sacrificia pro eo fient, iuuare haud dubiè pote-

Elemo-
synæ, vo-
ta. &c:

H iij runt:



Methodus adiuuandi

runt: & in omnibus id petatur, vt Dominus infirmo sit propitius, & vel ei restituere dignetur sanitatē, si ad melius seruiendum ipsi expediet, vel si ex hoc seculo transferre in aliud omnino volet, vt bene ipsum disponat, ad æternæ felicitatis consecutionem.

SI non fuerit in cubiculo aqua benedicta; curet, vt asseratur, & eum ipse & alij aspergant ea interdum, & ipsum lectum & cubiculum contra Dæmonis molestias: si non habeat Crucifixi imaginem, vel aliam saltem, quæ ad pietatem excitet, & iuuet, adferri, & ibi teneri curet: & infirmo ea osculanda interdum admoueat, vt per eius aspectum vel osculum ad aliquem pium affectum excitari possit.

CUM ad vitæ finem proximè accedere, & in agone esse videtur, commendatio animæ, secundum communem Ecclesiæ ritum, fiat ab eo, qui adiuuat, & tunc potissimū, cum cætera sunt peracta, quæ præcedere ad auxilium morientis debent, vel cum ipse non est iam sensuum & mentis compos: tunc enim commendatio prædicta, & orationes, & pia opera, de quibus supra,

præ-

eos, qui moriuntur. 87

præcipua sunt adiumenta, quæ morienti adferri possunt.

REMOVENTUR ab ægroantis aspectu, qui bonam ipsius præparationem ad moriendum impedire possent, vt esse solent pater, & filij, & vxor, qui potius humanos affectus, quàm spirituales in eo prouocarent; secus esset si spirituales, & ad infirmum adiuuandum idonei crederentur: adhibendi autem essent, homines boni & pii, qui morienti assisterent, & bona aliqua suo loco & tempore suggererent, & saltem pro eo orarent, & in agone Symbolum Apostolorum & passionem Domini, vel aliquos Psalmos ad rem accommodatos, & ex more Ecclesiæ super agonizantes dici consuetos prælegerent, quales sunt qui sequuntur.

PSALMI. Qui habitat in adiutorio altissimi. Dominus illuminatio mea. In te domine speraui. Quemadmodum desiderat ceruus ad fontes aquarum. De profundis. Dominus regit me, & nihil mihi deerit. Ad te Domine leuaui animam meam. Lætatus sum in his quæ dicta sunt mihi. Eripe me Domine ab homine malo. & alij, qui melius leguntur, quàm memoriter

H v di-

Remoueat
tur à con
spectu mo
riētis, qui
nutriūt af
fectus hu
manos.

Adfint
qui in cu
biculo mo
riētis or
rent pro
eo.

Qui Psal
mi oppor
tunè dicā
tur à cir
cunstanti
bus.



Methodus adiuuandi

dicuntur, & si aliquid intelligit pa-
tiens, illa inculcanda magis sunt,
quæ ad eius gustum & utilitatem
tunc magis pertinent. Symbolum
etiam circa horam transitus nõ se-
mel recitari expedit, & voce, quæ af-
fectum pium excitet, & sic non cõ-
fundetur moriens, cum loquetur i-
nimicis suis in porta. iuxta Psal. Lau-
dabile autem erit, si sacerdotes fue-
rint, vel saltem aliqui eorum, qui
hæc & alia orabunt in ipsius ægro-
tantis cubiculo, non solũ postquam
sensus integris esse desit, sed etiã
dum adhuc intelligit. et si posset ipse
sine molestia audire aliqua ex his;
& eorum expositionem, benè qui-
dem; si non posset, vtiliter tamen
ab prædictis sacerdotibus, vel aliis
piis hominibus, licet non audiret ip-
se, nec sciret, huiusmodi orationes
fierent, & interim etiam dum ali-
quis agonizanti loquitur, possent
alij talia subsidia, orando seorsum.
vel simul, ei præstare, imò & pueri
vicini, vt orent pro talibus, optan-
dum esset, dicendo Credo, Pa-
ter noster, Ave Maria, Salue
Regina, Litanias,
& alia.



De

eos, qui moriuntur. 88

De iis, quæ ad iuuandos eos
pertinent, qui assi-
stunt morienti.

Cap. XX.

QVI morientem aliis præ-
sentibus iuuat, quamuis
præcipua intètionè, ad
infirmi auxilium feratur, rationem
tamen suo loco & tempore aliorũ
audientium habere poterit, & de-
bebit; vt ex his, quæ infirmo di-
cuntur, vel si quid aliud propter
eos addatur, ædificationem acci-
pian.

ALIIQVÆ etiam digressiones
fieri possunt (& interim conque-
scent aliquantulum infirmus) ad hoc
ipsum, vt scilicet præsentibus iuuen-
tur, siue omnibus simul, siue huic
& illi loquatur seorsum.

CVM AVTEM ægrotus
vel iam obiit, vel omnino iudi-
cij, aut sensuum vsũ priuatus
est, magis adhuc locum habent,
quæ ad assistentes dicuntur qua-
dam ergo dici eis possunt ad in-
firmi utilitatem (vt paulo ante di-
ximus.) scilicet vt & orari, &

rationem
habeat as-
sistentiũ,
dum lo-
quitur in-
firmo.

Digressio
nes.

Tempus
commo-
dissimum
adiuãdos
assistẽtes.
Quæ dicã-
tur eis in
infirmi au-
xilium.

H vj Missas



Methodus adiuuandi

Missas offerri & eleemosynas pro eo uiuo vel defuncto fieri, vel alia pietatis, & charitatis aut pœnitentiæ opera curent, prout discretio, circumstantis personarum consideratis, distabit. Et si præsentem se non fore putat, in hora mortis, hortetur ut eo tempore dicant Litanias vel alias Orationes, nec ipsi filij, & vxor vacent, quin potius ipsi orent, licet non expediat forte, ut sint præsentem morituro, sed alibi id faciant, dicentes Coronas, vel Miserere, vel inuocantes Beata Virginem, Angelos, & Sanctos, ut adsint morienti, & pro eo intercedant.

Quæ dicuntur ad ipsorum auxilium.

QUAEREDAM verò ad ipsorum assistentium ædificationem, sumpta occasione ex eis, quæ de infirmo vel iam mortuo sunt visa, dici possunt, ut

QUAM bona sit præparatio ad mortem, innocens vita, quàm etiam frequens vsus sacramentorum, & per confessionem aliquam generalem & diligentem, sic suam purgasse conscientiam & pacasse, ut nullum in articulo mortis negocium, peccatorum cõfessio aut obligatio ad restitutionem facessant.

QUOD sæpe in sanitate, mor-

tis

eos, qui moriuntur. 89

tis memoria habenda sit, & sic vita instituenda, ut in articulo mortis institutam vellemus.

QUAM præciosum sit tempus, quod ad salutem nostram operandam dat nobis Dominus, scilicet ut sunt nundinæ mercatorij, ut auri fodina detecta, vel thesaurus non clausus, diuitias scienti, ut serenum tempus & prosper ventus nauiganti; ut tempus messis agricolæ, qui si præterire sinant præsentem occasionem, nunquam eam fortassis similem sunt habituri, cum vel vna hora esset morienti magnopere expectanda, in qua integris sensibus & iudicio posset per pœnitentiam & bona opera, se disponere ad beatitudinem & eius defectu posset aliquis in æternam damnationem incidere; ergo dum tempus habemus, operemur bonum ad omnes, maximè autem ad domesticos fidei.

QUANTA sit vanitas rerum temporalium, cum dignitates, honores, diuitiæ, voluptates, & omnia, quæ hic magni fieri solent, relinquuntur, & ipsum corpus in puluerem redigatur, ad cuius commoditatem tam multa, & tam sollicitè fiunt, perinde ac si perpetuò

esset



Methodus adiuuandi

esset hic viuendum.

QUANTVM SIT momentum virtutis, & quantus actio- num bonarum fructus, cum vitam æternam promereantur, & morientes comitentur, iuxta illud Apocalypsis: Audiui vocem de Cælo dicentem mihi, scribe, beati mortui, qui in Domino moriuntur: Amodo enim iam dicit spiritus, vt requiescant à laboribus suis; opera enim illorum sequuntur illos, & vtique ad gloriam perpetuam & felicitatem operantium sequuntur.

DILIGENTER ergo eis, dum possumus, insistamus, vt hortatur Apostolus bonum autem facientes, non deficiamus, tempore enim suo metemus non deficientes.

CVM mors sit tam certa, & eius hora tam incerta, quòd quotidie sic debemus nos disponere, vt secare possimus eodem die mori, nec debemus nobis longam vitam polliceri, nec in aliud tempus emendationem vitæ, & bonas actiones reuicere, incerti an hunc diem integrum victuri simus.

QUOD OPTANDVM sit, vt in hora mortis, non adhareat

eos, qui moriuntur. 90

affectus humanus rebus vel personis terrenis, sed cor totum liberum & expeditum, ad cœlestia desideranda, & summum bonum vnicè amandum se conuertat; & quàm felices sunt qui sic se habent, vel ex ipso statu vel saltem ex præparatione ante id vltimum tempus facta; vnde curare debemus dum viuimus sani, vt id ita fiat.

QUOD AD testamentum attinget, quàm conueniat, vt dum quis valet sensibus, & iudicio, id faciat, ne vel carendo vsu integro iudicij, deliramentum faciat pro testamento, vel sanguineis, aut aliis circa mortem vrgentibus, vel forte impedientibus, eius voluntatem (quod tamen esse graue peccatum declaretur) non qua debet ratione, fiat, nec vt par esset, animæ testantis per opera, vel legara pia consulatur. idèd expedire etiam, vt dum quis valet, vel antequam morbus ingrauescat, ea exequatur ipse, (si potest) quæ in testamento legare aliis decreuit. Vel saltem maturè per testamentum, vel codicillum leget, nec procrastinando,



Methodus.

ad eum statum redigatur, vt non
possit iam, quod ipsius animæ ma-
gnopere conueniebat, præstare:
& alia huiusmodi, habita ratione
personarum, opportunè dici cir-
cunstantibus, vel in commu-
ni, vel seorsum agen-
do cum qui-
bus-
dam, pos-
sunt.

F I N I S.



E L E N C H V S CAPITVM.



E IIS,
quæ per-
tinent ad
eū, qui a-
diuuat mo-
rientem.

- Cap. 1 folio 4
De his, quæ cum morien-
te ad animam ipsius iu-
uandam tractantur.
Cap. 2 fol. 7
De iis, quæ sunt tractanda
cum moriente, quod at-
tinet ad coniunctos, cor-
pus, & bona externa.
Cap. 3 fol. 13

Quid

Quid agendum, cum de
necessariis aliquid deest
morienti, licet aliqua
iam facta inueniat, qui
aduocatur. Cap. 4 fol. 16

Quomodo sunt exercen-
di, qui moriuntur, circa
fidem, præcipuè qui non
distinctè, quæ oportet no-
uerunt. Cap. 5 fol. 18

Quomodo sit spes erigen-
da, & exercenda.
Cap. 6 fol. 20

Quomodo charitas in mo-
riente sit exercenda, &
promouenda.

Cap. 7 fol. 28

Quid facti opus, cum quis
ad iuuandum morien-
tem aduocatur, à quo
iam omnia necessaria fa-

cta esse perhibenter.

Cap. 8 fol. 33

Qua ratione sit iuuandus
qui, ex vitæ nimio desi-
derio, non satis æquo a-
nimo moritur, aut non
acquiescit diuinæ volun-
tati. Cap. 9 fol. 40

Quomodo procedendum
cum eo, qui ex affectu
ad terrena, vel alias ob
causas, timer mortem,
plusquam oportet.

Cap. 10 fol. 45

Quid cum impatientibus a-
gendum sit. Cap. 11 f. 48

Quid agendum cum his,
qui fidei tentationibus
molestius agitantur.

Cap. 12 fol. 51

Quomodo iuuandi sint,

qui diffidentia aut de-
speratione infestantur.

Cap. 13 fol. 55

Quomodo iuuandi sint, qui
contrariis malis tenen-
tur, præsumptionis & ni-
miæ confidentiæ.

Cap. 14 fol. 60

Quid agendum cum acce-
dit quis ad morientem,
qui parum iam mente va-
let. Cap. 15 fol. 61

Quid agendum cum egro-
tus vsum habet rationis
& sermonis, sed est bre-
ue tempus ipsi reliquum.

Cap. 16 fol. 65

De iis, quæ agenda sunt
cum iis, qui intellectu
quidem valent, sed vo-
luntas illis ægra est, vt

id faciant,

id faciant, quod face-
re est necesse.

Cap. 17 fol. 68

Quomodo adiuuandi qui,
propter delicta sua, dam-
nari à iudicibus, mortis
sententiam acceperunt.

Cap. 18 fol. 72

De iis, quæ ad morientem
iuuandum faciunt, sed
sine ipso tractantur.

Cap. 19 fol. 85

Quæ ad iuandos eos per-
tinent, qui assistunt mo-
rienti. Cap. 20 fol. 100

FINIS.





Series chartarum.
A B C D E F G H.
Omnes sunt Sexterniones.

M A C E R A T A E,
Apud Sebastianum Martellinum.
M. D. LXXV.







Mem. 1113

11 de - 1895

